

# VNGARIA
## SEMPER LIBERA,
# SVIQVE IVRIS,
NVNQVAM VEL PRINCIPI, VEL GENTI

ET

ALICVI EXTERNAE, OBNOXIA.

QVOD,

EX GENVINIS LITTERARVM MONVMENTIS

ERVERE,

ET

QVAE IN CONTRARIVM ADDVCVNTVR,

EXAMINARE CONFVTAREQVE STVDVIT

IOSEPHVS BENCZVR.




VINDOBONAE,

SVMTIBVS EMERICI FELICIS BADERI.

M. DCC. LXIV.



II



# LECTVRIS SALVTEM.

Inter decora gentis Vngaricae, id, lector beneuole, retuleris, quod ita feliciter li-bertatem ſuam ſit tuita hucdum, vt numquam imperium dominationem alicuius Principis gen-tiſque externae admiſerit. Et hanc quidem praerogatiuam, tanti ſemper fecerunt Vngari, vt quotieſcunque ea fuerat defendenda vindi-candaque, ſummo id fecerint conatu conten-

tioneque. Qualem ſe, hac in re, magnus Vngariae rex MATTHIAS CORVINVS praeſtiterit, id Illuſtriſſimus Comes PETRVS de REVA de monarchia & ſ. Corona Regni Hungariae Centuria I. oſtendit omnium clariſſime. *Licet*, inquit, *non deſint*, *qui ſcribant*, *temporibus Ottonis*, *exterorum principum electores immemores non fuiſſe*; *ſed conſtitutum*, *vt Imperator*, *per ſolos Germanos proceres*, *vna cum quibuſdam Pannoniae & Hungariae Principibus*, *eligeretur*. *Sed ſcripti iſtius veritas non apparet*. *Reges ſane Hungariae*, *vt nihil de principibus Germaniae*, *numquam dignitatem hanc*, *reſpectu regni Hungarici vſurpauere*: *certum tamen eſt*, *D. illum* MATTHIAM *regem Hungariae*, *ob regnum Bohemiae*, *ad ſe delatum*, *gloriae ſuae duxiſſe*,

*xiſſe, ſummo Germanicae monarchiae electorum conſiſtorio adſcribi, vſurpaſſeque in litteris ad electores, id nomen, quod apparet, ex reſponſo ad litteras imperiales, Norimberga datas, anno, ſupra milleſimum quadringenteſimo octogeſimo primo, in verbis: quod ſcribitur nobis,* CAESAREM FRIDERICVM *eſſe noſtrum dominum, & nos ei eſſe alte obſtrictos: credimus, neminem eſſe ex ſacro Romano Imperio, qui neſciat, nos, ſibi, de regno Bohemiae & electoratu tantum, & non de alio eſſe obligatos; quem certe nos, de regno Bohemiae, tanquam ſuperiorem & dominum recognoſcimus, & ita ſemper obſeruabimus, vt nemo inficiari poſſit, nos, de eo regno, in vllo vmquam majeſtatem ſuam offendiſſe; verum, ex hoc regno Hungariae, quod ſemper liberum*

*extitit*, &, *nihil vmquam cum Imperio commune habuit. Quamuis ratione dignitatis, ſuperiorem eſſe Caeſarem cenſeamus, ratione tamen dominii, pares nos illi arbitramur.*


Alias tamen de his iudicant, libertatis, quam hic defendo, oppugnatores, in primis, qui res ſacri Romani Germanici imperii in commentaria retulerunt. Plerique omnes, aduerſus Comitem hunc, eruditione, meritorumque magnitudine illuſtrem, inſurgunt, eumque, amorem patriae, veritati antepoſuiſſe ſcribunt ſatis audacter. Forte, non infeliciter, ex genuinis monumentis litterarum probatum do, iniurios eſſe, in manes tanti Comitis, gentemque Vngaricam, hos, & omnes, qui, extraneis principibus, aliquid poteſtatis, in regnum

Vn-

Vngariae deferunt. Opera haec, quantacumque est, eo minus reprehensione digna esse videtur, quod, nonnulli eruditi, defensione domesticae libertatis, apud alias gentes, laudem sibi comparauerint existimationemque. Suffecerit in praesens nominare MARTINVM CHEMNITIVM Cancellar. Holsaticum, qui in Bericht und Unterschied der beyden Herzogthume Schleswig und Hollstein, cet. Danicas, IOAN PETRVM de HOHENRAD, seu LVDWIG, im vertheidigten Preußen, Prussicas, IOANNEM SCHVLZIVM, in tractatu de Polonia numquam tributaria, Polonicas ditiones semper liberas suique iuris fuisse, euincere volebant. Rogandus es vltimo, beneuole lector, vt parcas, quod subinde recondita aliqua & abstru-

sa,

ſa, quae ad praeſens argumentum parum videntur pertinere, adtigerim examinauerimque. Feci id propterea, vt viros eruditione claros, ad eas res patrias, quae adhuc obſcuritate laborant, eruendas excitarem. Iam, lector beneuole, vale, & ſi quid tibi diſplicuerit, mone, meque, ad res Vngaricas curatius perſpiciendas, adſpirantem, meliora doce.





# PROLEGOMENA.

## §. I.



Vngariam, ſemper liberam, ſuique iuris fuiſſe, dum dico, id volo, regem, gentemque Vngaricam, his in terris, nullum vmquam habuiſſe ſuperiorem. Dominium, quod, iuris feudalis doctores, vtile vocant, nemo vmquam genti noſtrae fecit dubium; directum vero, iuris publici, feudalis, & hiſtoriarum Magiſtri, mox ſummo Pontifici Romano, mox Imperatoribus Romanis, Regibusque Germaniae, mox Turcarum Principi, adtribuere non dubitarunt.

## §. II.

Aberrare hos a vero, nemo non conceſſerit, ſi euictum dedero, Reges Vngariae, in fidem & clientelam,

externi alicuius Principis, nec, ordinibus adſentientibus, ſe contuliſſe aliquando, nec ſe potuiſſe conferre.

§. III.

Quid ad alienationem poteſtatis illius, quam dominii directi voculis, exprimere ſolemus, requiratur, & quis eandem poſſit praeſtare legitime, illis iam notum erit, qui iuris naturae ac gentium praecepta, primoribus attigerunt labris. Concedent illi nobis vltra, non quemuis id facere poſſe principem, nec omnem illum, qui ſolus iura omnia, quibus Maieſtas, in cuitate, abſoluitur, gaudet, eademque exercet; ſed, eum nonniſi, qui, eam, ſuam in ciuitatem, habet poteſtatem, quam quiuis dominus, ſuam in proprietatem (*a*). Haec, ſi vera ſunt, vti omnino vera eſſe, quiuis facile concedet: prono hinc ſequitur alueo, eum non niſi principem, iure hoc pollere, qui regnum, quod patrimoniale vocare placuit, poſſidet (*b*). Qui tali deſtituitur poteſta-

a) Ita iudicat princeps doctorum iuris naturae & gentium *Hugo Grotius in iure belli & pacis, Lib. II. cap. 6. §. 3. ſicut autem res aliae, ita & imperia alienari poſſunt, ab eo, cuius in dominio vere ſunt.* Idem, *loco cit. Lib. III. cap. 20. §. 5. Ergo, vt imperium totum vali de tranſeat, populi totius conſenſu opus eſt, qui expediri poteſt, per partium legatos, quod ordinis vocant,* cet. Eadem deprehendes, apud *Samuelem Puffendorff in iure belli & pacis Lib. VII. cap. 7. §. 11.*

b) *Grotius l. cit. Lib. II. cap. 6. §. 3. A rege (imperium poteſt alienari), ſi imperium in patrimonio babeat.* Idem, *l. c. Lib. III. cap. 20. §. 5. At, in regnis patrimonialibus, quo minus rex regnum alienet, nihil impedit,* cet. *Puffendorff l. c. Lib. VII. cap. 7. §. 11.*

testate, ille, quidquid in alium principem gentemque, citra ordinum consensum, transfert, id nullius solet esse efficacitatis (*c*).

## §. IV.

Reges Vngariae, prisca iam aetate, summam tenuisse potestatem, non negauero (*d*). Fuisse tamen regnum hoc Apostolicum, in patrimonio, eorum vm-



*c*) *Grotius l. c. Lib. II. cap. 6. §. 3. & §. 9. Quare videmus a pluribus populis irritas habitas, vt alienationes, ita infeudationes regnorum, quas, populis inconsultis, reges fecerunt*, cet. Eadem praecipiunt doctores iuris feudalis. *Joan. Schilterus in instit. iur. feud. Cap. IV.* §. 3. Illustrari haec possunt ex historia Anglicana. Ioannes rex, quem, sine terra, cognominare placuit, concesserat, anno 1213. in fidem clientelamque Innocentii IV. Pontificis; quia tamen, ordines regni alienationem hanc improbabant, nihil potestatis in Anglicanam ciuitatem, ausus est sibi summus Pontifex adtribuere. Tabellas publicas, in quas relata est haec pactio, exhibet *Matthaeus Parisiensis in hist. maiori ad h. an.* conf. *Thomas Wickes ad an. 1213.* seq.

*d*) Omnium clarissime hoc ostendere videtur *Otto Frisingensis de gestis rebus Friderici I. Imperat. Lib. 1. cap. 31. omnes (Vngari) sic Principi suo obsequuntur, vt vnusquisque, ne dicam manifestis illum contradictionibus exasperare, sed & occultis susurris lacerare nefas arbitretur.* Et paucis interiectis, ita: *nulla accusato licentia excusandi datur, sed sola principis voluntas, apud omnes, pro ratione habeatur.* cet. Iuuabit tamen cum his conferre, quae S. Stephanus filio suo Emerico decretor. Lib. 1. cap. 4. seq. sapienter inculcat.



quam, nemo, quantum recordor, hucdum ausus est adseuerare. Ignorat Europa, quae Christi no ritu DEUM colit, regna eiusmodi, existimatque ea, fini ciuitatis aduersa esse quam maxime (*e*).

§. V.

Haec praemittenda erant, vt euictum dare possemus, nullum regem Vngariae, regnum hoc apostolicum, quod potentia, opibus & magnificentia, vsque ad saeculi XV. exitum, palmam omnibus Europae regnis dubiam faciebat (*f*), lege fiduciaria, accepisse tenuisseque. Quibus

e) Tironibus iuris publici atque gentium constabit, non omnem illum principem, qui absoluta gaudet potestate, patrimoniale habere regnum. Legas *Grotium l. c. & Puffend. l. c. Lib. VII. cap. 7. §. 11.* seq.

f) Pertinebant enim, ad illud, regna prouinciaeque validissimae, vtpote Transiluania, Croatia, Dalmatia, Slauonia, Seruia, Bosnia, Bulgaria, Moldauia, Valachia, Halicia & Vlodomeria. Hac ex ratione, Gregor. X. Pontifex in litteris suis, ad ordines regni Vngariae datis, *regnum Vngariae magnificum & famosum vocat, apud Hergott. volum. 3. Geneal. dipl. gentis Habspurg. T. II. P. II. p. 482.* Eadem etiam de caussa Turcarum princeps, legato regis Vngariae, primum in congressibus publicis, locum concedendum, Galliaeque legatum, post eundem, collocandum esse existimabat. Enarrat rem memorabilem *Istuanffius in historia Hungariae Lib. 23. p. 557. Galliae regis legatus Germinius Germolbeus, secundo loco, post Caesaris legatos, spectare iussus, quum se quidem Prainerio Romani Imperatoris legato cessurum dixisset, sic, vt Nyario, & aliis, qui non Caesaris, sed Vngariae Regis nomine adessent, praeferretur, deinde, vt Stephani* Polo-

bus contrarium praecipere placet, illi, vel, summi Pontificis Romani, vel Augusti Romanorum Imperatoris, Regisque Germaniae, vel Turcarum principis, clientes fuisse rectores Vngariae, sibi, aliisque persuadere volunt contentione animi viriumque vehementissima. Lustrabimus animo argumenta, quibus id probatum dare volunt, doctores de re litteraria optime meriti, quamue parum in iis esse momenti existimemus, pace eorum, ostendere apertius adnitemur. Certe, longe felicius, hoc in argumento, discutiendo versabimur, quam iniquus ille Vngaricae libertatis oppugnator Joan. Petrus de Ludwig, qui, magno eruditionis adparatu, ostendere voluit, nihil sacro Romano Germanico imperio iuris vmquam in Prussiam competiisse (*g*).

 §. 6.

*Poloniae regis orator, quem Henricus, prius rite apud Polonos, coronatus, nequaquam pro rege agnosceret, excluderetur, altercatione, ad Sinanum delata, qui tunc purpuratorum, ac consilii Sultanici princeps erat, ita diremta est, vt Henricum vnius Galliae regni, clari quidem haud dubie & opulenti, regem esse, pronunciaret, verum Vngariae Regem, qui olim Dalmatiae, Croatiae, Slauoniae, Bosnaeque & Bulgariae regna cum vtriusque Valachiae & Transiluaniae prouinciis tenuisset, ac a Ponte Polemoniaco, ad mare usque Adriaticum imperium extentisset, iure praeferri posse*, cet. Quam inclitum celebreque Vngariae regnum, ineunte saeculo XII. fuerit, ex sequenti *Cosmae Pragensis in Chronico eius, ad an. 1116.* discas testimonio: *Vngara gens, viribus ingens, opibus pollens, armis bellicis praepotens, & cum quouis rege terrarum pugnare sufficiens.* cet.

g) Excutias scripta eius, & de Prussia quidem, eiusq liber-

## §. VI.

Quamdiu Vngari duces habebant, ea in regione, in qua praecipite IX. ſaeculo, ſedem de fixerant ſtabilem, quaeue, ab eis, Vngaria eſt denominata; tamdiu ſui eos iuris fuiſſe, extraneorumque dominationem ignorauiſſe, quiuis facile nobis largietur. Comparauit ſibi poteſtatem ſummam, apud gentem ſuam, Arpadus Almi filius, propagauitque in propaginem ſuam feliciter. Iam certe, hac aetate, iure haereditario, maieſtatem, ad gentem Almi pertinuiſſe, exiſtimo (*b*); ita tamen, vt ſummam ordines, ad eum regii ſanguinis Principem, qui, præ reliquis, tanto honore dignus eſſe iudicabatur, transferre potuerint (*i*). Haec, vtut ſint comparata, facile

libertate, in primis das rechtliche Bedenken von der *ſouuerainität* der Preußiſchen Lande, gegen dem deutſchen Reich *in conſil. Halens. T. II. Lib. II. num. 4.* item, das vertheidigte Preußen gegen den Anſpruch des deutſchen Ordens.

*b*) Colligo hoc, ex ſequentibus *Anonymi Belae Regis Notarii, in collect. Schuandtneriana* T. I. cap. 5. verbis: *libera voluntate & communi conſenſu, ſeptem virorum* (capitaneos vocant noſtri) *elegerunt ſibi* (Vngari) *ducem ac praeceptorem, in filios filiorum ſuorum, vſque ad vltimam generationem Almum* (Arpadum potius) cet. Videtur hoc non obſcure iam *Conſtantin. Porphyrog. de adminiſtrando imperio, cap. 38.* expreſſiſſe: *&, ante hunc Arpadem, Turcae principem alium nullum vnquam habuerunt, ex cujus (Arpadi) poſteris, ad hunc vſque diem princeps Turciæ* (Vngariae) *conſtituitur.*

*i*) Patet id ex ordine ſucceſſionis, & compluribus diplomatibus decretiſque Vngaricis. Ab aetate S. Stephani, vſque

cile tamen quiſque nobis conceſſerit, duces Vngariae, vſque ad Geyſam S. Stephani patrem, maieſtatem imperii

vſque ad Andreae III. exitum, reges, noitri, habebant domeſticos, regioque ſatos ſanguine, Petrum & Abbam, ſi exceperis, quorum poſterior quidem Vngarus, prior Germanus erat, uterque tamen propterea Rex renunciatus, quod cognati fuerint S. Stephani Vngariae Regis. Cognati propiores, remotioribus non cognatis tantum, ſed agnatis etiam, interdum anteponi ſolebant, id quod aliquot comprobari poteſt exemplis. Haereditarium vero fuiſſe regnum hoc, ex diplomatibus regum etiam elucet. Ladislaus Cumanus, in diplomate, quod *P. Carol. Peterffy in S. concic. eccleſ. Rom. Cathol. in regno Hungariae p. 92. ſeq.* recitat, haec commemorat: *in ipſo* (S. Stephano) *orthodoxae fidei, diuina adflante clementia, ſacrum redoleuit vnguentum, in ipſo alluuione coeleſtis gratiae pullulante, vna cum reliquis ſanctiſſimis regibus Hungariae claro germine deſcendentibus, ab eo regni gubernaculum ſuſcipimus & coronam.* Aliud inſtrumentum anno 1308. adornatum, quod Peterffy p. 145. ſq. adducit, haec habet: *quod etiam perpetuis futuris temporibus, veri ſummi Pontifices, & ipſa Romana eccleſia habeant ius confirmandi & coronandi reges Vngariae, de vera regali progenie propagatos, quos ipſi vnanimiter & concorditer de dicta progenie ducerent eligendos.* Oſtendi id poteſt etiam ex decretis Regum Vngariae. In *decretis Alberti* Regis *Artic. 12.* ita habet: *quod diſpoſitio, pro Sereniſſima Principe, Domina Eliſabetha regina, & eius ſtatus honoris conſeruatione, ex quo eſt haeres huius regni fiat vbicunque vult in regno.* Et artic. 20. *de maritatione filiarum noſtrarum agemus cum conſilio Praelatorum & Baronum ac Nobilium regni noſtri Vngariae, nec oon cognatorum ac proximorum atque ſubditorum regnorum*



perii Vngarici aduerſus omnes vicinos principes genteſque, defendiſſe conſeruaſſeque ſtrenue (*k*). Cum jam ergo oſtendendum ſit, Vngaros, libertatem hanc, ſemper ſartam tectamque retinuiſſe, &, ſine fundamento, aliquid poteſtatis, in eos, extraneis principibus adtribui: a ſummo ſacrorum Romanorum Catholicorum antiſtite ſcribendi faciemus primordia.

# CAPVT I.

## QVO OSTENTITVR REGEM VNGARIAE SVMMI PONTIFICIS ROMANORVM NVMQVAM FVISSE CLIENTEM.

### §. I.

Qui ſummo Pontifici Romanorum imperii Vngarici partes aliquas adtribuunt, ortum illius cunabulaque, ad aetatem Sylueſtri II. referunt. Tradunt pleriqúe omnes ſcriptores, ineunte XI. ſaeculo, Pontifice

*ac ducatuum noſtrorum.* Cur haec in comitiis ſunt decreta, ſi ſucceſſorem Regi pro arbitrio dare poterant ordines regni?

k) Elucet id omnium euidentiſſime ex Aloldo de Peklarn, cui maxima his in rebus fides eſt tribuenda. Ita is in *notulis anecdotis apud Fr. Ortillonem ad an. 955. Qua contritione, ita defecit Hunnorum temeritas, vt numquam amplius in Germaniam auderent redire. Sed tamen Oſterricbiam eis proximam nequaquam in pace eſſe ſinebant, donec eorum dux, quem Vrzum appellabant, ſupereſſet.* Conf. ea quoque, quae ad an. 472. commemorat.

fice hoc summam sacrorum imperiorum tenente, S. Stephanum commutatis regiis, cum iis, quos maiores eius sustinebant, honoribus, coronam, Roma, per oratores, quos ad principem hanc vrbem miserat, expetiisse, & ex singulari prorsus summi Antistitis liberalitate, consecutum esse (*l*). Tantam ad munificentiam, prouocatus esse dicitur Syluester, insigni pietate noui regis, quippe qui in fidem summi Romanorum Pontificis, se conferre, seque regnum, posteritatemque, eidem commendare non dubitabat. Volunt id dare probatum, cum ex aliis monumentis litterariis, tum in primis ex litteris Pontificis huius, quibus regnum Apostolicum, sancto Stephano, heredibusque, & successoribus, certis legibus, tradit. Protraxit eas primus in lucem, ex tabulatio Traguriensi, Antonius Verantius Archiepiscopus Stri-

*l*) Examinarunt haec curatius, post Illustrissimum Comitem *Petrum de Reua, in commentar. de sacra corona regni Hungariae, apud Schvandnerium in collect. Script. rer. Vngar. T. II. p. 438. Martin. Schmeizel in commentar. de clenodiis regni Hungariae apud Schvandtn. l. c. p. 491. Godofredus Schvarz dissertat. de initiis religionis Christianae inter Hungaros ecclesiae orientali adsertis, Halae Saxon. 1740.* Huius argumenta confutarunt egregie *P. Ioannes Stilting e soc. Iesu, in actis Sanctorum ad diem secundam mensis Septembris in vita S. Stephani regis, Illustris Dominus Adam. Franc. Kollar. in historia diplomatica iuris Patronatus Apostolicorum Hungariae regum Lib. I. cap. I. seq. Reuer. P. Georg. Pray in annal. vet. Hunnorum, Auarum. cet. P. III. Lib. II. p. 395. P. Joseph. Innocent. Desericius de initiis ac maioribus Hungarorum T. IV. Lib. V. P. III. cap. X. p. 255. seq.*

Strigonienſis, & ſaeculo ad huc XVI. publici iuris fecit (*m*).

## §. II.

Si eorum opinatio probabilis eſſet, qui euictum dare volebant, initia rei ſacrae Chriſtianae, in Vngaria ad coetum Graecum eſſe referenda, facile, quidquid, de hac ſancti regis liberalitate, commemorant eruditi, conuelli poſſet. Notum enim eſt, omnes Pontifices Romanos, qui ſibi non nihil iuris in ciuitatem Vngaricam maieſtatemque vindicabant, ad ſollemnem hanc ſe prouocaſſe pactionem. Negandum ſcilicet eſſet, S. Stephanum, coronam vmquam, ſeu a Sylueſtro, ſeu ab alio aliquo Pontifice expetiiſſe, hunc vero non nihil in Vngariam iuris ſibi vindicaſſe. Auſus eſt id, noſtra aetate, facere Godofred. Schwarz, multaque cura oſtendere adlaborabat, tabellas, quarum Sylueſter dicitur eſſe auctor, non eſſe genuinas (*n*). Sed confutarunt argumenta eius viri nonnulli eruditi, oſtenderuntque ſolide, Latinorum, non Graecorum induſtria laudabili, a foedo idolorum cultu, Vngaros eſſe abductos (*o*). Euicerunt,

*m*) Vide eas apud ſcriptores Vngaricos paſſim, in primis in *Collect. Schwandtn. in notis ad C. Petri de Reua, comment. de corona regni Hung. l. cit. p. 438. & Illuſtr. Kollar l. c. Lib. I. Cap. 9. p. 46.*

*n*) Legas ſi placet, *differt. eius de initiis relig. Chriſtianae* §. *1. lit. a adductam.*

*o*) Primus, qui ex inſtituto, aduerſus virum hunc eruditum egit, eſt P. Stilting, poſt hunc, memorandi ſunt *Adam*

cerunt, primum gentis noſtrae regum, a nullo alio, quam Sylueſtro Pontifice, impetraſſe diadema (*p*).

§. III.

Si rationes, quas Schwarzio viri hi oppoſuerunt, commemorarem, repeteremque, vix facerem pretium operae.



*Adam Franc. Kollar, Georg. Pray, Joſ. Innoc. Deſerici loc. citt. & P. Carol. Peterffy in ſacris conciliis eccleſiae Romano Cathol. in regno Hungariae celebratis, T. I. paſſim.* Veſtigia cultus, quem, Vngari, confictis numinibus olim deferebant, in decretis regum Vngariae deprehendes. *Decret. S. Ladisl. Lib. I. c. 22. quicumque, ritu gentilium iuxta puteos, ſacrificauerint, vel, ad arbores, & fontes, & lapides obtulerint, reatum ſuum boue luant. Decret. Andr. I. profanas & Scythicas caeremonias, falſosque Deos abrogarent, & ſimulacra demolirentur.*

*p*) Ante Stephanum I. duces, quos Vngari habebant, regia deſtituebantur corona. Quae. *Conſtantinopolitana* ex vrbe adlata eſt, ad *Gylam*, Tranſiluaniae adminiſtratorem pertinebat, non totius gentis Vngaricae rectorem. Si quid momenti argumenta Schwarzii habent, non plus probant, quam, quod Graeci quoque, in limitibus ſui imperii, in primis Tranſiluania, rem ſacram Chriſtianam voluerint propagare. Quam tamen parum profecerint, patet ex eo, quod aetate S. Stephani, Tranſilvani, vi debuerint impelli ad auitam ſuperſtitionem abiiciendam. *Auctor Annal. Hildesh. ad an. 1003. Stephanus rex Vngariae ſuper auunculum ſuum, regem Julum, cum exercitu venit, quem, cum comprehendiſſet, cum vxore & filiis duobus, regnum eius vi ad Chriſtianitatem compulit.* Eadem tradit *Anonym. Belae regis Notar. cap. 27. & Ademar. Chabanenſis in Chron. ap. Labbeum bibl. manuſcr. T. II.*

operae. Nemo tamen mihi forte vitio vertet, quodsi vnam atque alteram, quae, non vbiuis occurrit, adduxero. Primas hac in re defero decretis regum Vngariae primis, quae, Graeci coetus nullibi commeminerunt, Latini vero frequentius (*q*). Deinde, reges nostri numquam ausi sunt negare, summum Romanorum Pontificem copiam sacrae coronae sancto regi Stephano fecisse, eumque in honoribus, quos ab ordinibus Vngaricis acceperat, ritu sacro sollenni confirmasse. Elucet id omnium euidentissime, ex bellis rebusque gestis Salomonis, Geysae I. regis, & S. Ladislai (*r*). Ordines

q) Excutias decreta *S. Ladisl. R. Lib. I. cap. 3. presbyteris*, inquit, *qui prima & legitima duxere conjugia, indulgentia ad tempus datur, propter vinculum pacis, & vnitatem Spiritus Sancti, quousque nobis, in hoc domini Apostolici paternitas consilietur. Andreae I.* Regis constitutiones ita incipiunt: *vt quicunque Vngarus, seu peregrinus, in Vngaria, deposito Scythico, gentili & ethnico ritu, ad veram Iesu Christi fidem illico non rediret, ac sacram legem, a' Diuo rege traditam, non reciperet, capite & bonis mulctetur.* Hinc colligo, Andream, eam rationem DEUM colendi, quam S. Stephanus Vngaris tradiderat, confirmasse. Andream hunc, sub sacro Pontificis Romani Leon. IX. imperio vixisse, Latinoque ritu, non Graeco, DEUM coluisse, certum est. Alold. enim de *Peklarn ad an. 1052.* haec commemorat: *Leo Papa IX. in exercitu praesens, & ab Andrea rogatus, se interposuit, & pacem conciliauit.* Quomodo admisisset Princeps Graecis sacris addictus, huns pacis conciliatorem?

r) De his infra §. 9. sq. Confer. *Kollar*, *Pray l. cit.* in primis pag. 389. seq. Ladislaus Cumanus in litteris ad Pontifi-

nes praeterea regni Vngariae saeculo XIII. in comitiis, id, inuiti quasi, veritateque rei compulsi, magna conspiratione, fateri habebant necessum (s). Acceperant namque id a maioribus suis Vngariae libertatis alias tenacissimis (t). Nec hoc quoque praetereundum est, Schwarzium, nullibi ostendisse, quo tempore, Vngari, a Graecis, ad Latinos desciuerint, & quid eos, ad haec in animum conuocanda consilia, perduxerit. Si id probatum dederit, victas porigemus manus. Sed,

 quo-

tificem Roman. anno 1279. datis, apud *Peterffium l. c. p. 93. non a se vel ab alio, sed ab eadem Romana ecclesia, matre omnium & magistra, regni diadema, reuelatione diuina, meruit obtinere* (S. Stephanus) cet.

s) Loquitur id instrumentum insigne, quod anno 1308. occasione electionis Caroli I. confectum est. Adfert illud, post alios, *Peterffius l. c. T. I. p. 150. quod*, inquit, *coronam regni primus Rex regni Hungariae S. Stephanus a Romano Pontifice consecratam, acceperit, prout Vngarornm historiae, quas legatus ipse praenominatus asseruerat praestari, alias etiam thema ipsum, ad suae intentionis propositum, super statu eiusdem regni mirabiliter reducendo. Post quae, sub specie tuendae libertatis eiusdem regni, inter ipsos barones, & nobiles, murmur, quod ipsius domini legati attigit aures, per querelam patulam in publicum productam, exoritur, videlicet: quod nolebant, nec erat aliquatenus intentionis eorum, quod ecclesia Romana, vel ipse dominus legatus, eius nomine, saepe dicto regno, de rege nullatenus prouideret.*

t) *Diploma* cit. *placebat eis* (ordinibus Vngariae) *quod illum, quem ipsi, ex antiquo & approbato eiusdem regni more vocauerant, & in regem assumserant, praefatus dominus legatus, eiusdem ecclesiae Romanae nomine, in regem verum Hungariae confirmaret*, cet.

quomodo probabit, cum nulla huius rei in hiſtoria Vngariae decretisque, veſtigia occurrant, nulla indicia in iis deprehendantur, qui res aetatis huius in commentaria retulerunt. Aetate Salomonis, immo Andreae I. iam Vngari, Romano ritu rem ſacram facere ſolebant, immo, & aetate S. Stephani, qui auctor fuerat felix Vngaris abiiciendi cultus, quem ritu priſco idolis deferebant (*u*). Vltimo, notandum quoque eſt, adfinitatem eum, cum principibus Chriſtianis, qui ad occidentem erant, iniiſſe, quod vix feciſſet, ſi religio eundem cum orientis Chriſtianis colligaſſet arctius (*x*). Quae, cum ita ſe habeant, nullus iam dubito adſeuerare, S. Stephanum accepiſſe a ſummo Pontifice Romano facultatem, eccleſias, templa, monaſteria condendi, eisdem leges

*u*) Rem tanti momenti ſcriptores ſicco vix praeteriiſſent pede. Connotabant enim diligenter eos, qui, miſſis Graecis, Romanorum accedebant partibus. Regem Croatiae & Dalmatiae Zwonimirum, qui & Demetrius, anno 1076. Graecorum coetum deſeruiſſe, ſummique Pontificis patrocinio, ſe, cum regno, commendaſſe, probat tabulis publicis *Luc. de regno Dalmat. & Croatiae Lib. II. Cap. 20.* Andream I. Romanae Catholicae religioni addictum fuiſſe, eamque, a S. Stephano accepiſſe, iam ſupra litt. f. probauimus.

*x*) Conuenit in manus Hiſelae Henrici Ducis Bauariae filiae, ſororem Giſelam, ſeu ipſe rex Stephanus, ſeu pater eius, collocauit Ottoni Veneto, qui etiam Wilhelmus Burgundiae & Pictauienſis Comes audit, qua de re infra. Nulla ſororum eius Graeco Principi nupſit.

leges praescribendi, & sacros honores muneraque etiam conferendi (*y*).

§. IV.

Sed iam dispiciendum est, quomodo litteras Syluestri cum libertate, quam regi regnoque Vngariae adtribuimus, reducemus in concordiam. Res tota erit in vado, si recogitauerimus, sacrum sibi tantum imperium, Syluestrum, quod in occidentis reliqua habebat regna & ciuitates, reseruasse. Obsequium deposcit a Stephano, eiusque Successoribus, & Vngaris, qua summus sacrorum Christianorum rector, moderatorque, non qua Princeps, qui partes quasdam ciuilis potestatis Vngariae, suas esse voluisset (*z*). Concedent id haud difficulter, qui in Romana Germanica historia huius aetatis non prorsus sunt hospites. Nisi enim me omnia fallunt, Pontifices Romani, hac adhuc tempestate, sub pote-

y) Meminit littetarum harum *Peterffy l. c. p. 5. Kollar l. c. Lib. II. cap. 5. p. 87.* seq. in primis *Pray l. c. ad an. 1037.* Placet ex insigni hoc monumento sequentia adducere verba: *& sicut habui* (Stephanus I. rex) *potestatem, vt vbicumque, vel in quocunque vellem loco, ecclesias, aut monasteria construerem, ita nihilominus a Romanae sedis summo Pontifice habui authoritatem, vt quibus vellem ecclesiis, seu monasteriis, libertates & dignitates conferrem*, cet videtur iam potestatem hanc concessisse Syluester II. litteris, quarum supra §. I. litt. b. memini.

z) Nolo argumenta, quibus id nostri, in primis omni nostra laude maior *Kollar*, *l. cit. Lib. I. cap. 7.* seq. comprobarunt, repetere, ne actum agere videar.

potestate erant Imperatoris. Confirmabant hi summum Pontificem, quotiescunque lectione sollenni, summum sacrorum, ad eum deferebatur imperium (*a*). Procedente demum tempore in plenam se adseruerunt libertatem, & de maiestate Regum Principumque constringenda, & ad suam reuocanda voluntatem, curas inibant grauiores (*b*).

§. V.

Praeter ea argumenta, quibus sagaces rerum Vngaricarum indagatores, euictum dederunt, Syluestrum, nullam imperii ciuilis partem, in Vngariam, consecutum esse, alia adhuc forte adferri possunt. Huc vero in primis pertinere videntur, leges prouidentissimi Regis Stephani, quibus filio suo Emerico, artes regnandi salutares exposuit. Commendat, magno huic Principi, enixius, coetus sacri curam, monet, ne episcopos, proceresque despicatui habeat. Quod vero Pontificis Romani nullam hic faciat mentionem, nullam aliam caussam esse existimo, quam quod nihil eidem potestatis in regnum adtribuerit Apostolicum (*c*). Praeterea, iam supra

*a*) Durarunt haec vsque ad imperium Henrici IV. Imperatoris, qui Gregorium VII. hac in re, sibi habebat aduersum. Legas eos, qui res gestas saec. XI. in Germania & Italia in litteras retulerunt.

*b*) Gregorium VII. id egisse sollicitius, vt plurimas ciuitates Christianas suum sub imperium mitteret, fidemque eis extorqueret, nullus aetate nostra, dubitabit. Legas ea, quae infra §. 9. lit. c. adduximus.

*c*) Quomodo praeterire potuisset sapientissimus Rex, Romanum Pontificem, si eius sub clientela vixisset, & Legas *decret. eius Lib. I. cap. 2. seq.*

ſupra oſtendi, regem Stephanum fateri, ſe, a ſummo Pontifice, facultatem condendi monaſteria, legibusque ac inſtitutis ſacris conſtringendi, conſecutum eſſe. Conceſſit eandem, ſine dubio, propterea Pontifex, ne, vel Stephanus, vel ſucceſſores eius, exiſtimarent, regem Apoſtolicum, pro arbitratu, & vi poteſtatis, qua reges ſolent gaudere, rem ſacram dirigere ordinareque poſſe. Quod ergo Sylueſter, litteris his, ſibi reſeruauerat, hoc inſtrumento hoc repetitum confirmatumque eſt ſollenniter (*d*).

## §. VI.

In primis vero opinio haec, ex vita Leonis IX. robur accipere videtur non expugnabile. Summus hic ciuitatis Chriſtianae rector, venit anno 1051. in Germaniam, conciliandae Henricum III. imperatorem inter, & Andream I. regem Vngariae, pacis cauſſa. Ceperat namque vtrumque principem ſatietas diuturni belli, quod, ob deiectum Petrum regem, ſceptrisque priuatum, obortum erat. Solus Pontifex hic tanti eſſe videbatur, vt quidquid controuerſiarum inter eos erat, diri-

*d*) Pertinent huc ex Syluestri II. litteris, ſequentia: *Quare, glorioſe fili, cuncta, a nobis, & ſede apoſtolica, expoſtulata, diadema, nomenque regium, Strigonienſem metropolim, & reliquos epiſcopatus de omnipotentis DEI, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum, eius authoritate praemonente, atque ita iubente, eodem omnipotente DEO, cum Apoſtolica, & noſtra benedictione, libenter conceſſimus, concedimus & impetimur.*

dirimere, pacemque inter duas gentes validas potuisset restituere. Fecit summus Pontifex copiam sui vtrique Principi, adfinitateque, inter eos procurata, ad Togas Germanos iuxta ac Vngaros reuocauit (*e*). Si quid potestatis in regnum Vngariae summus Pontifex habuisset; & Andream castigasset verbis grauioribus, quod, posthabita summi Pontificis auctoritate, summam rerum, apud Vngaros, acceperit, & Henricum monuisset, ne quid iuris in regnum regemque sibi obnoxium, imposterum sibi adtribueret. Ostendisset, Henricum, summam sibi per id intulisse iniuriam, quod Andream cum a Petri Apostolorum Principis, tum successorum eius, ab obsequio, abducere, sibique obnoxium reddere voluisset.

## §. VII.

Ipsi quoque Pontifices subinde fateri cogebantur, ea tantum Syluestrum iura sibi in Vngariam vindicasse, quae, in reliquas ciuitates Christianas eidem competebant. Suffecerit in praesens, quae hic adfirmo, sequenti communire, stabilireque testimonio. Gregorius VII. in

e) *Alold. de Peklarn ad an. 1052. & Herman. Contractus ad an. 1053.* tradunt, Leonem, ab Andrea, euocatum esse, ad dirimendam controuersiam hanc, & pacem procurandam, *Otto Frising. Chron. Lib. VI. cap. 33. Chronogr. Saxo. ad an. 1052. Alber. Monachus trium fontium ad an. 1051.* haec de Henrico perhibent. Vtriusque Principis consensione poterat euocari Leo eo, quod plurimum momenti adlaturus esse credebatur, ad pacem restituendam.

in epiſtola, quam ad Geyſam I. regem Vngariae anno 1075. dedit, haec commemorat: *notum tibi eſſe credimus, regnum Hungariae, ſicut & alia nobiliſſima, in propriae libertatis ſtatu debere eſſe, & nulli regi alterius regni ſubiici, niſi ſanctae & vniuerſali matri Romanae eccleſiae, quae, ſubiectos non habet vt ſeruos, ſed vt filios ſuſcipit vniuerſos* (*f*).

## §. VIII.

Non plane nulli ſunt, qui maieſtatis, quam Pontifici deferunt, ortum cunabulaque ad ius crucem duplicatam praeferendi regibus Vngariae, quo S. Stephanus auctus eſt, reuocant (*g*). Verum, ad haec ſuffecerit



*f*) *Apud Harduin. T. VI. Concil. p. 1310.* Idem Pontifex, litteris, an. 1078. ad Nehemiam Strigonienſem archiepiſcopum exaratis, quid ſibi iuris in Vngariam vindicauerit, non obſcure exprimit: *vt apertius nobis ſuam voluntatem, & erga reuerentiam ſedi Apoſtolicae debitam, per idoneos legatos denunciet deuotionem. Ex Harduini T. VI. Concil. p. 1369. Pray l. cit. p. 78.* Epiſcopus Zagrabienſis Auguſtinus apud *Pray l. c. p. 390.* in comitiis, apud Peſtum, anno 1310. ita ordines regni Vngariae adloquitur: *ipſe ſanctiſſimus Apoſtolus Hungariae Stephanus, de cuius ſucceſſore agimus, a Romano Pontifice Syluestro II. rex eſt declaratus, & perpetua legatione Apoſtolica decoratus. Quodſi fatemur in fonte, cur non admittemus in riuulo: ita tamen, vt inde libertati illi perpetuae, qua Hungari ſuos principes eligunt independenter a qualibet alia poteſtate, nullum praeiudicium oriri profitear.*

*g*) Legas eos, qui catalogum feudorum curiae Romanae adornarunt, Baronium, Bodinum, alios, quos *Conringius*

cerit reposuisse, Stephanum, crucem hanc, qua Apostolicum accepisse regem (*b*). Alii, praeeunte aequaeuo Ditmaro Merseburgensi, tradunt, Ottonem III. Imperatorem, praerogatiuam hanc Stephano regi contulisse (*i*). Si etiam, rex hic, Vngariam Pontifici Syluestro obtulit, num adsentientibus regni ordinibus? Si iisdem insciis inuitisque id fecit, quid hoc ad Vngaros, regesqne eorum? (*k*).

§. IX.

*gius de finibus imperii Cap. 17.* & *Schuederus in theatro praetensionum Lib. III. sect. I. cap. 16.* commemorant Conf. Io. *Petrus Ludwig in Germania Principe Lib. I. c. 2. p. 49.*

*b*) Ita enim *Syluester II. postquam tu, & illi*, (successores), *coronam, quam mittimus, rite iuxta formulam legatis tuis traditam, coronatus, vel coronati existentes, crucem, ante te, Apostolatus insigne, gestare facere possis & valeas, atque illi possint valeantque.* De cruce hac, eiusque fatis, vide Vngaricos annales, in primis *Illustriss. C. Reua in comment. de sacra corona regni Hungar. apud Schwandtn. T. II. p. 439.*

*i*) *Ditmarus Merseburgens. Lib. IV. Imperatoris praedicti* (Ottonis III.) *hortatu, gener. Henrici ducis Bauariorum, Waic* (lego Gais, seu Geisa) *in regno suo episcopales cathedras faciens, coronam & benedictionem accepit. Ademar in Chron. apud Labbeum bibl. manuscr. T. II. regem Vngariae baptisauit, qui vocabatur Geitz, & mutato nomine in baptismo Stephanum vocauit, quem Otto Imperator in natali protomatyris Stephani a baptismate excepit, & regnum ei liberrime habere permisit, dans ei licentiam ferre lanceam sanctam vbique, sicut ipsi Imperatori mos est.* Schwarzii opinionem examinat *P. Stilting, & Kollar. l. citt.*

*k*) Vid. supra proleg. §. 4. lit. e. Monuit haec erudite Illustris. *Kollar. l. c. Lib. I. cap. 11. in ista*, inquit, *republi-*

*cae*

## §. IX.

Obſtare iis, quae hucdum diſputauimus, in primis videtur, quod Gregorius VII. quo in amplificandis iuribus Romani Pontificis, nemo fuerat diligentior, Vngaros, ſub ius ditionemque ſuam redigere voluerit. Verberat ille Salomonem extorrem, grauioribus verbis, quod adfinis potius, quam ſua opera, regnum recuperare voluerit Vngariae. Oſtendit, nihil Henrico Germaniſque poteſtatis, competere in Apoſtolicum regnum, quod S. Stephanus Pontificis Romani tenuerit exeritque auctoritate (*l*). Haec, quem ad modum in dubium vocare non audemus, ita, eadem, ad praeſens argumentum parum facere exiſtimamus. Nullam enim Gregorius Sylueſtri litterarum facit mentionem. Cur? Quia

 forte

*cae ratione, conſenſus ducum, procerum, populique erat neceſſarius, vt, regnum cuilibet legitime donari, libertatisque reges eligendi limites reſtringi poſſent: at vero de conſenſu hoc, neque in vetuſtis monumentis, neque in epiſtola Syluestri vlla vſpiam mentio.* Dolendum eſt, quod litterae Stephani, quas, occaſione hoc, dedit ad Syluestrum II. ad noſtram non peruenerint aetatem. Hae, totam hanc litem, deciderent. Parum tamen praeſidii, in eis, Pontifices Romanos inueniſſe, exinde colligi poteſt, quod, numquam ſe, ad eas, quum, de iure hoc, cum regibus ordinibusque Hungariae agebant, receperint.

*l*) Legas litteras has apud *Kollar l. c. Lib. II. cap. 6. Pray. l. c. ad an. 1074.* alios, vbi haec occurrunt: *ſicut, a maioribus patriae tuae cognoſcere potes, regnum Hungariae ſacrae Romanae eccleſiae propium eſt, a rege Stephano olim beato Petro, cum omni iure & poteſtate ſua oblatum, & deuote traditum.*

forte cognouit, nihil in iis deprehendi, quo comprobari posset, imperium ciuile, regem sanctum, summo cum Pontifice, partitum esse, partemque huius notabilem, in summum religionis Christianae moderatorem, transtulisse (*m*). Praeterea, ex his, cognatisque, ad reges Vngariae, datis litteris Gregorii, non obscure colligitur, non fuisse, eundem, de iure, quod Syluester sibi in Vngariam comparauerat, bene informatum. Suggessit eidem, non nemo, seu opera data, seu inductus litteris male intellectis Syluestri, S. Stephanum, locum, inter clientes summi Pontificis, expetiisse. Aliter de tota hac re, Leo IX. iudicabat, id quod supra iam commemoratum est (*n*). Accedit, quod Gregor. VII. omnes propemodum reges principesque Europae, ad obedientiam imperiorum suorum perducere voluerit. Qui eum, his in coeptis, confirmabant, varia confingebant iura, quae olim, Romanos Pontifices habuisse audacter adseuerabant. Quibus haec suspecta esse videntur, consulant monumenta historica aeui huius diligentius (*o*). Vltimo non est prae-

*m*) Legas litteras apud *Pray l. c.*

*n*) Vid. supra §. 6. litt. f.

*o*) In epistolis eius, quas *Harduinus Tom. VI. Concil.* exhibet, multa, quae huc pertinent, deprehendes. Ita *Lib. VII. ep. 20.* ad Philippum I. regem Franciae scribit: *maxime enitere, vt beatum Petrum, in cuius potestate, est tuum regnum, & anima tua, qui te potest in coelo & in terra ligare, & absoluere, tibi facias debitorem.* Ad Hispaniarum regem *Lib. X. epist. 7.* haec perscripsit: *regnum Hispa-*

praetereundum, regnum Vngariae, a principio, iure haereditario, ad regiam pertinuiſſe gentem, ita tamen, vt

*Hiſpaniae, ab antiquo, proprii iuris Sancti Petri fuiſſe, & ſoli Apoſtolicae ſedi ex aequo pertinere.* In *epiſt. 3. Lib. IX.* ad Paſſauienſem epiſcopum haec deprehendes: *admonere te volumus, ducem Welphonem, vt fidelitatem beato Petro faciat. Illum enim totum in gremio b. Petri deſideramus collocare, & ad eius ſeruitium ſpecialiter prauocare,* cet. *Wilbel. Conqueſtor.* potens Anglorum rex, tributum & fidem Poſcenti, ita reſcripſit: *Hubertus legatus tuus admonuit me, quatenus, tibi, & ſucceſſoribus tuis, fidelitatem facerem, & de pecunia, quam anteceſſores mei, ad eccleſiam Romanam mittere ſolebant, melius cogitarem. Vnum admiſi, alterum non admiſi. Fidelitatem facere nolui, nec volo.* Recitat totam epiſtolam *Stephanus Baluzius miſcellan. T. VII. p. 127.* In litteris vero, quibus Zwonimir Croatiae rex, fidem Pontifici huic defert, haec proſtant: praeterea, cum DEO ſeruire, regnare eſt, vice b. Petri, & Domini noſtri Pontificis Gregorii, atque, poſt ſe, ſucceſſorum, in Apoſtolica ſede, me, ſuis manibus committo, & commendo, hanc fidelitatem ſacramento ſtabilio. Totum inſtrumentum legas apud *Lucium l. cit. p. 138.* In Germania, Henricum IV. imperio exuere, idque in Rudolphum ducem transferre volebat, cui etiam coronam donabat, quae haec verba inſcripta habebat: *Petra dedit Petro Petrus diadema Rudolpho.* Succeſſores quoque eius veſtigiis inhaerere interdum volebant, ſucceſſum tamen exoptatnm conſiliorum videre non poterant. Fridericus I. opprobrat Pontifici, quod auſus ſit dicere, ſe imperatori, beneficium contuliſſe. Excuſat ſe Pontifex apud *Radeuic. Lib. I Cap. 22.* Poſſem plura adducere, ſed haec ſufficient. Non dubitarunt certe

vt ab ordinum voluntate dependerit, cui potiſſimum e numero principum regio ſanguine ſatorum, faſces imperiumque tradere voluerint. Probatur id non ex ordine tantum, quo ſe in regno Vngariae exceperunt (*p*), ſed ex

certe nonnulli ſcriptores, Pontificem *Romanorum*, *magiſtrum mundi*, *luminare maius* vocare, aliisque excellentioribus titulis exornare.

*p*) Iam duces Vngariae, iure heretitario, ad ciuitatem Vngaricam acceſſiſſe videntur. vid. ſupra prolegom. §. 6. litt. i. Poſt fata S. Stephani, cognati eius, Petrus & abba, poſt hos; agnati, ſceptra Vngarica tenebant, & primum quidem Andreas I. poſtea frater eius Bela I. Hic ſator eſt, paterque reliquorum domeſticorum regum vſque ad Andream III. qui in Vngaria imperabant. Adeoque, ad Toxum, qui & Vrſus, auum S. Stephani, reges hi, natales referunt. Qui parum iuris in regnum habere videbantur, ſequentes ſunt: Sigismundus, Caroli IV. imperatoris gnatus, gener eius Albertus, poſt hunc Vladislaus Polonus, Vladeslai Iagellonis filius, Matthias Coruinus, & Ferdinandus I. Primus & ſecundus, iure, quod vxoribus eorundem competebat, adſeruerunt ſibi, poſteritatique, Apoſtolicum regnum, quod ius adoptione firmatum eſt, tertius ea lege rex eſt renunciatus, vt Eliſabetham viduatam morte Alberti, acciperet in matrimonium, quarti electio tumultuaria erat, adeoque hic non eſt conſideranda, vltimi ius ſuccedendi, partim ex nuptiis, quas cum Anna, Ludouici II. ſorore, fecit, partim ex pactionibns, quas auus eius Fridericus Auguſtus, cum Mathia & ordinibus inierat, deriuandum eſt. De Sigiſmundo adhuc notandum eſt, eundem, ſtirpis Vngaricae fuiſſe principem. Auia enim eius Eliſabetha, Ioan-

ex diplomatibus etiam regiis innumeris (*q*), immo, & egibus regni, in comitiis latis (*r*). Mox propiores cogna-

Ioannis regis vxor, neptis erat Cunegundae, Ottocari regis vxoris. Cunegunda haec, auum habebat Belam IV. regem Vngariae. Placet id fequenti illuftrare fchemate:

Bela IV. Rex Vngariae
|
Anna vxor reguli Machouienfis
|
Cunegunda vxor Ottocari R. Bohem.
|
Wenceslaus R. Bohem. & Poloniae.
|
Elifabetha vx. Ioannis R. Bohemiae.
|
Carolus IV. Imperator. & R. Bohemiae
|
Sigifmund. Imp. & R. Hung. & Bohem.

*q*) Supra iam proleg. §. 6. lit. i. nonnulla commemorauimus. Geyfa II. rex in diplomate apud *Peterffium l. c. T. I. p. 127.* ita: *quod ego Geyfa fecundus fecundi Belae regis filius, diuina difpofitione, fceptra paterni regni iure haereditario obtinens, cet. Maria I. in decret. anno 1384.* haec adducit: *quod Sereniffimo principe Ludouico, DEI gratia, inclito rege Vngariae, Poloniae, Dalmatiae,* cet. *genitore noftro chariffimo, volente domino coeli, cuius natu omnia reguntur & difponuntur, abfque prole mafculina de medio fublato, nobifque fucceforibus, & ordine genituræ, folium & cororonam feliciter adeptis,* cet. De quo decreto vid. *Cel. Caroli Andreae Bel. tract. de Maria Ludouici I. principe filia, p. 47.* feq.

*r*) Probatur id eorum in primis regum decretis, quorum electione ius hoc haereditarium maxime turbatum effe vide-

cognati remotioribus agnatis anteponebantur (*s*); mox, inter hos, ſtudia diuerſa obſeruabantur, certaminaque de imperio perniciabilia. Aetatis, virtutisque bellicae, maximam videtur habuiſſe gens bellicoſiſſima rationem, hac-

videtur. Ex *Alberti I. decret. art. 12.* ſupra iam proleg. §. 6. lit. r. dedimus. *Decretor. Matthiae I.* regis *artic.* ita habet: *in primis ex vetuſta maiorum ordinatione, ſancitum & conſtitutum eſt, quodſi quando regium ſemen deficere contigerit, & de electione noui regis tractaretur, cet. Artic. 2. ſecundo, ſi quiſpiam regum, haeredem in tenera aetate conſtitutum reliquerit, Palatinus, ex officio tenetur, & debet, illum, tanquam tutore, in regnis & dominiis paternis conſeruare, cet. Artic. 3. Tertio, ſi regium ſemen deficere contigerit, infra id tempus, quo ad* nouus rex eligeretur, *aut, etiamſi vt praefertur, haeres in tenera aetate relinquatur, Palatinus eius tutor*, cet. Quid his clarius, quid euidentius eſſe poteſt?

*s*) Factum hoc eſt potiſſimum poſt fata ſancti Stephani. Rex hic magnitudiue meritorum ſuorum, a ciuibus Vngariae id facile impetrauit, vt ſorores ſuae eorumque liberi, reliquis eius agnatis cognatiſque anteponerentur. Quae enim noſtri in annales retulerunt, de foeda crudelitate, cuius documentum Giſela vxor ſancti regis in Vazulem dediſſet, & cauſſa abitus Belae, Andreae & Leuentae in Bohemiam atque Poloniam, ſuſpecta fide omnino narrari videntur. Legas *Pray annal. ad an 1032.* Pari ratione, Ludovicus M. poſthabitis agnatis, quos in Italia, habebat, regnum Vngariae, filiae Mariae, & Sigiſmundo Marchioni, ſponſo eius, reliquerat. Forte id non feciſſet, ni caede crudeli fratris eius Andreae, manus polluiſſent, gentemque Vngaricam non minus, quam regem offendiſſent.

hacque de cauffa, reges, non femper diadema in filios transferre poterant, fed illud faepe fratri inuiti cedere cogebantur (t). Haec propterea hic adduco, vt pateat, quisnam litem, quae, de imperio, Salomonem inter, & Geyfam, principes Vngaricos, exarferat, dirimere debuerit. Scilicet, nec Pontifex Romanus, nec alter aliquis extraneus princeps, fed foli ordines Vngariae.

§. V.

Sicuti vero Gregorius Pontifex Salomoni fuccenfebat, quod, per Germanos, reditum quæfiuerit ad regnum; ita Geyfam quoque reprehendebat acrius, quod, fe in confilium non adhibito, ad ciuitatem Vngaricam accefferit (u). Quo iure id fecerit, ex illis, quæ commemorata funt, difces. Vngari, vt oftenderent, quam nihil imperium ciuile ad Pontificem pertineret, duos, e numero procerum, egerant in exfilium, quod mandata Pontificis, auitæ antepofuerint gentis

 Vnga-

t) Praebebat confuetudo haec non raro materiam bellis funeftis. Reges enim faepe fratres deprimebant, vt filiis, eorumque honori confulerent. Invenies complura huius rei in annalibus Vngariae exempla. Hinc quoque non difficili opera collegeris, formam hanc regendi ciuitatem Vngaricam, paci tranquillitatique publicae fuiffe aduerfam, fubindeque Vngariam commouiffe vehementius. Sapienter ergo factum eft, quod ius hoc, ad leges primogeniti fit reuocatum.

u) Litteras exhibet *Harduinus T. VI. Concil. p. 1310.* & *Pray ex eo l. c. p. 75.*

Vngaricae libertati. Summus Pontifex, vicem eorum miſeratus, precibus, non mandatis, id, a Ladislao rege impetrare debebat, vt viri hi maiorum imaginibus clari, poſtliminio reſtituerentur (x).

§. XI.

Poſt fata Gregorii VII. diu, nihil iuris ſibi Pontifices Romani, in Vngariam vindicabant, & ſatis commodas, quae non raro ſe obiiciebant, miſſas faciebant occaſiones. Belam IV. regem, immunem liberamque ab omni imperio Friderici II. imperatoris pronunciabat Innocentius IV. (y). Cur vero iuris ſui in Vngaricam ciuitatem, ea tempeſtate, non commeminit? Nonne propterea, quod nihil ſibi plus in eam poteſtatis tribuerit, quam in reliquum orbem Chriſtianum. Paullo poſt, reprehendebat, principem hunc, quod ad barbarorum confugerit auxilia, debellandi filii Stephani rebellis cauſſa (z), & cum ſaeuo Tartarorum Principe adfinitatem inire,

x) Recitat litteras *Harduin. T. VI. p. 1416. Itaque comites illos - - - eorumque milites, quos b. Petro fideles, iuſtitiaeque fautores, iniuſta, vt accepimus, ſententia, in exilium expulit, tibi commendatos eſſe, ex parte noſtra optamus. Et quia hactenus illis ſubuenire ex induſtria propria, claritudo tua curauit, ſentiant ſibi nunc ob fidelitatem beati Petri, noſtramque commendationem; ſolatii auxiliique munus copioſius acceſſiſſe.*

y) Litteras Innocentii deprehendes apud *Raynaldum ad an. 1245.* ex quibus, quae huc pertinent, ſuppeditabit *Pray l. c.* p. 280. vid. infra Cap. II. §. 14. litt. o.

z) Exarauit litteras Pontifex anno 1254. in quibus haec proſtant: *ſane triſtes audiuimus, & referimus cum dolore,*

*quod*

inire voluerit (a). Fecit hæc, qua ſummus rei ſacrae per Chriſtianum orbem antiſtes, non qua Princeps, cuius partes eſſent nonnullae in regenda ciuitate Vngarica.

§. XII.

Saeculo demum XIII. libidinum illecebrae quibus ſe Ladislaus rex, quem Cumanum noſtri adpellitant, tradidit, exciuerunt Pontificem ad protegendam chriſtianam rem ſtudioſius. Metuebat enim, ne rex inter amplexus Cumanarum feminarum haerens, blandimentisque earum delinitus, ad auitum fictorum numinum cultum, Vngaricam gentem, quae aegre eundem dimiſerat, reduceret. Auerterat deteſtanda libido, etiam nonnullos Pontifices proceresque, a ſano ſenſu, eademque dementia ceperat. Ipſa mater regis Cumanis plus quam Chriſtianis, fauiſſe dicebatur (b). Qui rem ſa-



*quod inter te, ac eundem primogenitum* (Stephanum V.) *materia diſſenſionis exorta, ipſe contra te, Cumanorum, tuque contra eum, paganorum de Liuonia* (forte Lithuania), *& aliorum infidelium vicinorum auxilium intenditis inuocare, ac hoſtilem congreſſum ad inuicem experiri*, cet. *Raynald ad an. 1264.*

a) Iam anno 1259. adfinitatem Belae ſummus Tartarorum princeps expetebat, & Vngaros, ad ſocietatem armorum aduerſus reliquos Chriſtiani orbis principes inuitabat. vid. litteras Alexandri Pontificis apud *Rainald. ad an. 1259. & Pray l. c. p. 302.* ſq. Alias huius argumenti ſuppeditat idem laudatus *Pray l. c. p. 316.*

b) Ita enim epiſcopus Olomucenſis ad ſummum Romanorum Pontificem ſcribit: *Ecce ipſa* (mater) *regina Hungariae*

cram ritu chriſtiano faciebant, regisque commercium exſecrabantur, tanti non erant, vt religionem chriſtianam, & ſe, tutos reddere potuiſſent. Obiecit ergo ſe tantæ tempeſtati, ad quem totius orbis Chriſtiani cura pertinebat, Pontifex, & nihil eorum fecit reliqui, quae, ad profliganda vana inſtituta cultumque DEI Chriſtiano aduerſum, videbantur eſſe neceſſaria. Erexit certe multos, quorum animi labare coeperant, alios in chriſtiana firmauit diſciplina per Nicolaum Philippum Firmanum legatum ſuum apud Vngaros (*c*). Quidquid tamen, viuente rege hoc vario & inconſtante, per legatos, in Vngaria, occipiebat, id, eo pertinebat, vt religioni potius ſacrae in ea conſuleret, quam dominationem & principatum, quem ei nonnulli, in liberum regnum tribuunt, vindicatum iret (*d*).

§. XIII.

*riae eſt Cumana, proximi parentes eius gentiles ſunt, & fuerunt.* Apud *Raynald. ad ann. 1273.* Fuiſſe principem hanc Chriſtianam, alia monumenta loquuntur: ſed forte Cumanorum rei non minus, quam Chriſtianae fauebat.

*c*) Veſtimenta quoque & inſtituta Cumana, ſecundum regem, multi induerant proceres. Conſule *Pray l. cit.* in vita Ladislai Cumani.

*d*) Patet hoc ex compluribus litteris, quas Pontifex Romanus ad regem Cumana ſuperſtitione & vanitate captum, dedit. Vid. inſtar omnium, quas *Pray l. c. p. 356. ad an. 1287.* adfert. Adpoſite huc litterae Andreae II. anno 1219. ad Pontificem ſcriptae apud *Pray l. cit. p. 214. nos, prouti ex noſtrorum anteceſſorum praerogatiua iam*

*dudum*

§. XIII.

Poſt fatalem Ladislai huius exitum, volebat Pontifex, Andream III. vnicum ſtirpis regiae ſuperſtitem Principem, ab Vngaricis gubernaculis excluſum eſſe. Id enim, totis agebat viribus, ne obedientiam alteri Vngari praeſtarent, quam Carolo Martello, clienti ſuo fido, quem eis deſtinauerat. Sperabat namque fore, vt ſicuti, ex munificentia Romani Antiſtitis, pater auuſque, in Italia acceperant maieſtatem, ita hic quoque Vngarica ſceptra ſibi referret in acceptis (*e*). Irrita nihilominus conata eius, quamdiu Andreas rerum potiebatur, reddebant Vngari.

§. XIV.

*dudum vſi ſumus, & cognouimus, ſpiritualem ſacro ſanctae Romanae eccleſiae, recenſente nos eſſe filium, ad veſtrae ſanctitatis exhortationem, conſilium, per obedientiae victimam, nos, & noſtra litare cupientes.* Et paullo poſt haec: *nos, coronam, regnum noſtrum, & filios, veſtrae Sanctitatis cuſtodiae illibatae conſeruanda commendantes.*

e) Scripſit ad Vngaros, Rudolphum imperatorem, & alios principes, regnum Vngariae, ab antiquo tempore, ad ſummum Pontificem pertinere, nullum alium, quam Carolum Martellum ad imperium euehendum eſſe. vid. litteras apud *Pray l. c. p. 360.* ſeq. Parum haec curabant antiſtites ipſi Vngarici, omnesque, eos, Chriſtiana ex ciuitate eiiciebant, qui Andreae fidem denegabant & obſequium. Diſca id ex litteris Bonifacii, ad Strigonienſem pontificem datis, apud *Pray l. cit.*



§. XIV.

*Venceslaus*, & proceres, qui a parte eius fuerant, parum curare videbantur, quod Bonifacius, Carolum hunc, extra solum Vngaricum anno 1290. regem pronunciauerit (*f*). Auocabat quidem ciues Vngaricos, ab obsequio Bohemi huius litteris; qui tamen publici eas in Vngaria facere iuris voluisset, nemo fere fuerat inuentus (*g*). Libertas, qua hucdum vsi sunt, adeo acuit

*f*) Factum id adhuc est anno 1290. vid. *Madius de gestis Romanorum cap. 2. & Ioan. Villanus Florentinus in hist. vniuersali Lib. VII. C. 134. apud Murat. in script. rerum Italic. T. XIII.* Seu extremo Andreae regis anno, seu statim post fata eius, Strigoniensis antistes, coronam capiti eius, sed non prisco ritu, Strigonii, imposuit. vid. *Thurocz cap 34.* Pontifex, in litteris, ad legatum suum exaratis, apud *Pray l. c. p. 369. cum magnificus vir Carolus, nepos charissimi in Christo filii nostri, Caroli Siciliae regis illustris, per dilectum filium Strigoniensem electum, & administratorem auctor auctoritate nostra in spiritualibus & temporalibus Strigoniensis ecclesiae constitutum, in eiusmodi regni Vngariae regem fuisset antea coronatus.*

*g*) Euocabat Pontifex Romam, ad reddendas rationes accepti, apud Vngaros, imperii, Vngariae regem, patrem eius Venceslaum, regem Bohemiae & Poloniae, proceresque Vngariae, qui a partibus Bohemi fuerant, in primis Colocensem pontificem, qui coronationis sollemnia dirigebat: parum tamen haec in Vngaria curabantur. Legas *Pray in vita Venceslai.* Rem ita tractabat pontifex, ac si ius Venceslai in regnum Vngariae ignorasset. Ita enim apud *Raynald. ad an. 1301. vt non prosequamur, ad praesens, quod, nec ex successione, seu iure aliquo,*

acuit procerum Vngariæ pectora, vt ausa eorum, quos fauor ceperat Italicus, vi comprimere non dubitauerint (*b*).

## §. XV.

Eandem operam ludebat, Ottone Bauaro, post Venceslai abscessum ex Vngaria, ad clauum sedente

*aliquo, quod occurrat, regnum ipsum debeatur Venceslao nato praedicto.* Litteris aliis, per Europam, vulgatis anno 1303. ostendit Pontifex, *Carolum esse haeredem proximiorem, & in Strigoniensi ecclesia iuxta ritum antiquum Vngariae, per personam antiquam regale suscepisse diadema. Raynald. ad an. h.*

*b*) Archiepiscopus Colocensis & episcopus Zagrabiensis, mandata Romani Pontificis, quibus praecipiebat, vt Vngari soli Carolo fidem deferrent & obsequium, non sunt ausi totum per regnum, promulgare. *Rayn. l. c. & Pray p. 376. seq.* Quanto opere, consiliis Pontificis se opposuerint Vngari, discas exoratiuncula Zagrabiensis antistitis, qua, in concionem vocatos ordines, apud Pestum, anno 1310. ita est allocutus: *vt paucis concludam, quod longo tempore mirabundi suspeximus, & suspirauimus, clericorum turba, plebis armata furore, pestilens virus in medicum eructando, Apostolicam sedem, quae, a nemine iudicatur in terris, anathemate percutiendam strepitu campanarum censuit, efficta caussa, quasi Romanus Pontifex electionem regis Vngariae perpetuo liberam, violenta, vt iactabant, intrusione Caroli Andegauiensis violasset.* Apud *Pray l. c. p. 389.* seq.

te (*i*). Qui vero Carolum Robertum, Caroli Martelli maiorem natu filium ei anteponendum esse rebantur, non tam obsequii, quod Pontifex deposcebat, contestandi caussa, quam, vt in turbido eo felicius piscari potuissent, idem faciebant. Inuenti omnino sunt non penitus nulli, qui Carolum hunc expetebant; at, postquam votorum se damnatos vidissent, imperia eius aspernabantur, seditionesque exitiabiles ciebant in regno (*k*). Deriuabant iura eius hoc in regnum, quicumque eius sub imperium se contulerant, ex cognatione, qua proxime Ladislaum Cumanum adtingebat (*l*). Propterea, comparandum cum eo nullum alium Vngarico satum sanguine existimabant (*m*). His quoque argumen-

i) Nescio, quomodo Augustinus Zagrabiensis episcopus in comitiis regni anno 1310. haec proferre poterat: *Bauarus Otho, quo glutine stemmati nostrorum regum possit agglutinari, nequaquam mihi probatur*, apud *Pray l. c.* Forte non fugiebat Antistitem grauissimum, matrem Ottonis Belae IV. regis gnatam fuisse.

k) *Thurocz cap. 84.* scribit, Matthaeum Trenchiniensem, & alios potentiores, *Carolum puerum, regem nominasse, verbo, sed non facto.*

l) Augustinus Zagrabiensis episcopus l. c. ostendit in comitiis, summum Pontificem tueri *Carolum in regno, iure sanguinis ei debito.*

m) Episcop. Zagrab. l. cit. *Iure autem sanguinis, aequo, optimo, super alios competitores, Carolo deberi diadema auiticum, sole meridiano clarius est; cum matrem habuerit Mariam, Stephani V. Hungarorum regis filiam, sororem Ladislai III. & vltimae ex Bela propaginis sacrae masculae Hungaricae.* Et mox

gumentis usus est ille, penes quem sacrum erat in orbe Christiano imperium (n). Quidquid praeter haec, adducere possemus, his innititur argumentis. Quae ergo commentati sumus, de his quoque forent dicenda. Adeoque haec in praesens sufficiant.

# CAPVT II.

## OSTENDIT, VNGARIAM IMPERATORI IMPERIOQVE ROMANO GERMANICO NVMQVAM FVISSE OBNOXIAM.

### §. I.

Germanos, nihil in Vngariam antequam S. Stephanus primus Vngarorum rex in manus Giselae Bauaricae Principis conuenisset, habuisse iuris, omnes rerum Germanicarum curatiores fatebuntur indagatores. Qui enim iam antea, seu Henricum aucupem, seu Ot-

E 2 tonem

mox paucis interiectis: *addo praeterea, quod omnibus liquidum est, Carolum regem nostrum, numquam se regno Hungarico obtrusisse, quippe cui, tanquam primogenitae proli parentis sui Caroli secundi felicissimum totius orbis regnum Siciliae, naturali praerogatiua destinabatur, sed, vnde ipsi immortales gratias habere debemus, & agere, ab melioribus senatoribus sollicitatum, iussu Romani pontificis, labanti Hungariae, & alienis nationibus in praedam concedenti, praesto futurum, postbabito nobilissimo & ditissimo Siciliae regno, adcurrisse.*

n) Litterae Pontif. apud *Raynald. ad an. 1303.* num. 17. *praedicta regina Siciliae sicut primogeniturae ius obtinens clarae memoriae Stephani regis Vngariae, patris sui, in eodem regno propinquior est, successor & haeres, quondam Ladislao regi Vngariae fratri suo ex vtroque parente.*

tonem I. in deuictam gentem Vngaricam, poteſtatis non nihil conſecutum eſſe, memoriæ prodiderunt (o); perinde ſunt deridendi, ac ſi quis Vngaros, multis ante Henricum victoriis, in Germania, claros, non tributum tantum, ſed obſequium etiam, armis, hoſtibus his, extudiſſe adfirmaret (p). Neque felicius rationes

o) *Auctor Chronici Reichersbergenſis ad an. 921.* (potius 933.) *Henricus, cum Vngaris pugnauit apud Merſeburg, & feliciſſime triumphans, tributarios eos facit ſibi. Chron. Mindenſe apud Meibom. ſcript. rerum German. T. I. ad an. 934. Henricus imperator* (rex) *in ſignum rebellionis, abiectionis & contemtus eorum* (Vngarorum) *miſit eis catulam abſciſſis auribus & cauda pro tributo.* Vocula rebellare, quam poteſtatem aetate hac habuerit, cuiuis forte conſtat. *Bonfin. Dec. I. Lib. X. Quin etiam eo inſolentia prouecta Germana ſuperbia, vt, ob banc vnam calamitoſam & cruentam Ottonis victoriam, ex Vngaro, neque fuſo, neque cedente, relatam, imperii quoque Pannonici titulos vſurpet.* Alias forte cauſſas titulorum horum adducunt, quas mox examinabimus. Nihil faciunt ad rem, quae *Ioan. Petr. Ludwig in Germ. Principe Lib. I. c. 2. p. 48.* adducit. *Fuit*, inquit, *Hungaria omnis in clientela imperii Romani. Nam, veteris Pannoniae prouincia Romanorum fuit, quae, non ſolum Vngariam, ſed huic quoque vicina regna, ſub ſuo habuit complexu.* Idem mox ita: *vniuerſos harum ditionum regulos Carolus M. in ſuam, imperiique clientelam redegit. Carolingica autem ſtirpe in Germania ad interitum ruente, obſequii iugum hi etiam reguli iterum excuſſerunt.* Nihil haec ad Vngaros.

p) Annus erat 926. quo Franci, qui orientem verſus habitabant, pacem ab Vngaris expetere, tributoque emercari debebant. Legas *Witechind. Lib. I. p. 138. Luitprandum hiſtor. Lib. II. cap. 13. contin. Regin. ad an. 926. alios.*

nes ſubducunt, qui lectoribus perſuadere volunt, vel, per Giſelam Bauaricam, vel, per Henricum fratrem eius, Imperatorem Romanorum, Regemque Franciae, quam Germaniam hodie vocamus, Vngaros, ab auita reuocatos eſſe ſuperſtitione, & ſub Francicum adductos imperium (q). Primum quidem ad liquidum iam

 explo-

q) *Auctor vitae Henrici* huius apud *Caniſium T. III. P. III. p. 390. Pannoniam quoque Catholicae fidei, & Romano imperio coadunauit* (Henricus II.) *Victor autem aliarum nationum Apoſtolus fuit Vngarorum.* Male! Honos hic pertinet ad Stephanum regem. Confer. *annal. ſax. ad an. 1002. Sigbert Gemblac. ad an. 1010.* (forte 1001.) Addit plura *Ioan. Auentinus annal. Boior. Lib. V.* hanc in rem ſcribens: *rectori eorum filio Geizonis, qui obierat anno C. 996. Giſala ſoror Hainrici deſpondetur, hac lege, atque omine, vt ille, exploſa falſorum deorum ſuperſtitione, Chriſti vnius & veri, & ſummi DEI cultum, cum popularibus reciperet. Accepit conditionem princeps Vngarus: ſtatim aqua luſtradica tingitur, Stephanus appellatur, &, a Caeſare, rex nuncupatur. Giſala igitur fatale ſortita nomen, Stephano tamquam obſes, & fidei vinculum nuptum datur. Cuius ope & conſilio, Vngari, philoſophiam Chiſtianam ſectari coeperunt. Ioan. Petr. Ludw.* teſtimonium hoc, hominis recentis tanti facit, vt non dubitet in *comment. de auſpicio regio p. 87. 91. & in German. princ. Lib. I. 2. p. 48.* adſeuerare, Stephanum, auſpiciis imperatoris, regios aſſumſiſſe honores. Confutauit virum eruditum, *Io. Iony in diſſert. de auſpicio regio Stephani I. Hungarorum Apoſtoli.* Confer quoque *Herman. Conring. de finibus imperii Rom. German. Lib. I. cap. 27. Burchard Gotthef. Struue Corp. hiſt. Germ. Rer. V. ſect. V. §. 9. n. 86.* Omnibus his, opponimus, V p-

ponis

exploratum eſt, non contemnendam Vngarorum partem, rectoremque eorum Stephanum, antequam conſilia de matrimonio, cum Giſela ineundo, ſuſcepiſſet, nuncium miſiſſe numinibus fictis (r). Deinde ſi etiam concedamus, vti omnino haud inuiti concedimus, multas Giſelae in firmandis ſacris Chriſtianis amplificandisque in Vngaria partes fuiſſe (s); qui exinde concludi poſſet, per id, imperii Vngarici partes Francos accepiſſe, non poſſum perſpicere. Libera ergo erat, ſuique iuris ciuitas Vngarica, quamdiu ſanctus Stephanus eam rexit.

§. II.

ponis, omni exceptione maius teſtimonium. Ita ſcriptor hic, qui Conrado II. a ſacris erat, in vita huius imperatoris, in *collect. Piſtoriana ſcript. rer. Germ. T. III. Hungaria, quam idem rex Henricus, nobili atque admirabili victoria domuit, & poſt victoriam, ſapientiſſimo conſilio, ſibi, & ſucceſſoribus ſuis ſtabiliuit, praedicto tempore* (dum Conrad. II. eligebatur), *nec audire nos voluit.*

r) Non hic operoſius in ortum cunabulaque ſacrorum Chriſtianorum in Vngaria inquiremus, neque etiam examinabimus, vtrum ad Latinae, vel Graecae eccleſiae, induſtriam ſint referenda. Sententiam noſtram iam ſupra Cap. I. §. 2. ſeq. ingenue protulimus. Nemo profecto, noſtra aetate, facile iam dubitauerit, S. Stephanum, Chriſtianum iam fuiſſe, cum de ineundo matrimonio iniiſſet conſilia.

s) Hoc forte tantum volunt Germanicorum annalium conditores, qui, Giſelam ad cultum Chriſtianum inſtitutaque perduxiſſe, Vngaros ſua in commentaria retulerunt. Ita namque multi Vngarorum tenaces erant cultus & inſtituto-

## §. II.

Plus momenti habere videtur, quod ex consiliis, ad quae Petrus, ab Vngaris in exilium actus, se coniecerat, desumi solet argumentum. Quia enim Henrici III. imperatoris opera, regnum, quo, eundem, Abba, qui & Samuel audit, Vngarique anno 1041. depulerant, volebat recuperare: existimant nonnulli eruditi, eum, ad Augustum, qua iudicem, confugisse. Hunc dicunt, vi muneris & potestatis, quam ei, in Vngaros, adtribuunt, controuersiam hanc dirimere opor-

tutorum foedorum, quae, a maioribus acceperant, vt vi armisque, ad dimittenda eadem, debuerint impelli. Adferebant magno regi curas magnas, illi in primis Vugari, qui hodiernam accolebant Transiluaniam. Pro aris focisque pugnandum sibi esse existimabant, cum sub signa infesta confluerent, aduersus regem suum, qui eis, rectam DEUM colendi viam ostendere volebat. *Annal. Hildesheim. ad an. 1003. Stephanus rex Vngariae super auunculum suum regem Iulum* (Gyulam) *cum exercitu venit, quem cum comprehendisset, cum vxore & filius duobus, regnum eius vi, ad Christianitatem compulit.* Eadem tradit *Anonym. Belae regis notar. cap. 27.* Videtur quoque huc intendere digitum ipse *Stephanus*, dum *decretor. Lib. I. cap. 2.* ita filium suum adloquitur: *haec* (ecclesia) *fili charissime, in nostra monarchia adhuc quasi iuuenis & nouella praedicatur*, cet. Haec dum adfirmo non nego, fuisse vnum vel alterum templum, aut oratorium, antequam S. Stephanus in lucem ederetur, excitatum. *Decret.* enim *S. Ladislai an. 1092.* publica donatorum auctoritate, *Lib. I. cap. 8.* haec prostant: *ecclesias ex vetustate desolatas, episcopus re aedificet.*

oportuisse, & vel Abbam, in imperio confirmare accepto, vel, eodem deiecto Petrum in sceptra reponere (*t*). Mihi vero haec argumentatio admodum suspecta, immo falsa esse videtur. Petrus, qui, omnia, sibi, & Francis, quos Vngaris anteponebat, in Vngaria permittebat, pulsus, ad regem Francorum, Vngaris infensum atque inimicum (*u*), confugit: adeoque, habebat

*t*) Aequaeui scriptores, supparesque nihil aliud perhibent, quam quod Petrus, auxilia Henrici, opera Adalberti Marchionis Austriae, adfinis sui expetierit imploraueritque. Legas *Alold. de Peklarn ad an. 1040.* seq. *Herman. Contract. Lambert. Schaffnab. annal Hildesh. ad an. 1041.* seq. His tamen ex testimoniis, nonnulli nostrae aetatis iuris publici Germanici historiaeque doctores, confieri existimant, regem Vngariae inter clientes Henrici Francorumque locum tenuisse. *Vid. Herman. Conring de finibus imperii*, *Burchard Gottbelf. Struue l. cit. Io. Petr. Ludwig in German. principe Lib. I. cap. 2. p. 48. solum*, inquit, *Vngariae regnum sponte rediit in Germanici imperii clientelam. Cum enim imperatoribus ea dogmata suggererent ipsi Pontifices Romani, omnia Christiana regna subesse imperio Romano, id etiam egerunt Germanici Caesares, vt Hungariam Christianam in suam reciperent clientelam.* Paucis interiectis, scribit, *Petrum pulsum, ad Henricum se contulisse litigiosae successionis iudicem.* Probare haec debuisset eruditus vir, non adseuerare: in veteribus fideque dignis nec volam deprehendet nec vestigium.

*u*) Fuisse Henricum infenso in Vngaros animo, exinde colligo, quod hi anno 1040. Bohemos, qui ab imperio desciuerant, milite iuuerint. vid. *Cosm. Pragens. Lib. II. Coron. Herman. Contract. annal. Hildesheim. ad h. an.* Cur potius

bebat hic nonnihil in Vngaros poteſtatis. Si ita rationes ſubducere licebit, nemo mihi vitio vertet, quodſi ſequens duxero ratiocinium. Arnulphus dux Bauariae, ad Vngaros, anno 917. confugit, acceptus eſt ab eis hoſpitaliter, eorumque opera & auxiliis, ducatum, quem antea regebat, volebat recuperare, & rerum moderamen gubernaculaque Francica: ergo cliens erat gentis Vngaricæ. Eadem valebant, de Conrado duce peraeque Boioariae, qui ad Andreae I. regis auxilia, ſe anno 1054. contulerat (x).

§. III.

Inſtabis vrgebiſque, fuiſſe Petro cauſſas praegnantes, quae, eundem impellebant, vt ad Francos potius, quam vicinas gentes principesque, extorris ſe conferret. Id, vti non negauerim pertinacius, ita non difficulter poſſum cauſſas has conquirere commemorareque. Prima erit, quod propter Germanos, quos adminiſtros delegerat, ſocioſque crudelitatis, qua ſe exoſum reddide-

potius imperatorem, qua directum dominum, non iuuit armis atque milite Petrus? cur inultum hoc relinquebat Henricus? cur Vngaros defectionis non accuſabat? Cur ea ratione, qua Bohemos ſeditioſos, ad officium non reuocauit? Notum praeterea eſt, & Henricum, & complures alios imperatores, omni ſtudio niſuque, in dilatandis finibus imperii, Vngariſque, ſuum ſub imperium detrudendis, laborauiſſe.

x) Legas de his *Alold. de Peklarn, Hermann. Contract. Annal. Sax. Marian. Scot. ad h. an.* & alios annalium Franciae conditores.

diderat, ſolum vertere debuerit Vngaricum (y). Alteram crediderim eam fuiſſe, quod ſciuerit, Henricum, limites imperii ad orientem prorogare, & gentem, quae plurimum noxae Francis adtulerat, ad imperiorum ſuorum obedientiam perducere voluiſſe. Suum vero in primis fauorem quaeſiuiſſe Henricum, ex eo non obſcure colligebat Petrus, quod Burgundos, apud quos frater ſuus maior natu primas tenebat, a vicinis Francis auellere, & in fidem, quam Germanis, plus ſimplici vice promiſerant, confirmare ſtuduerit (z).

Non

y) Non eſſe confiſta ea, quae de crudelitate, Petri, tradunt domeſtici, diſcas ex *Hepidan. annal. Allemann. ad an. 1048.* & in primis *Aloldo vicino aequaeuoque ſcriptore ad an. 1039.*

z) Obſcura haec ſunt & perplexa, adeoque, quoad eius fieri poteſt, in lucem ſunt collocanda. Primum vero & ante omnia notandum eſt, fuiſſe Petro fratrem Raynaldum, eumque, ante noſtrum, editum eſſe in lucem. Petram, filium fuiſſe Wilhelmi, quem comitem vocant Piſtauienſem, in propatulo eſt. *Alold. de Peklarn ad an. 1021. Adalbertus marchio nuptias fecit, cum Albeide, quae fuit filia Quilielmi comitis Piſtauienſis, & Giſelae ſororis Stephani primi regis Vngariae & ſancti: huius Albeidis frater erat Petrus, qui, poſt Stephanum, in regno Vngariae ſucceſſit.* Conf. eundem *ad an. 1040.* Et Petri, & Adelheidis ſoror erat Agnes, quam Henricus III. anno. 1043. tori ſui fecit ſociam. *Glab. Rodulphus Lib. V. Cap. I. Henricus duxit vxorem filiam Wilhelmi Piſtauiorum ducis, nomine Agnetem. Alold. de Peklarn ad an. 1041. Adalbertus marchio, pro Petro, apud Hainricum III. regem, ei pariter adfinem, intercedens, ei auxilium impetrat.* Eadem fere *Herman.*

*Con-*

Non fugiebat prouidum imperatorem, patrem Petri Wilhelmum Pictauiensem comitem, Burgundos, ab Henrico II. Rainoldum vero fratrem Petri, a Conrado II. & Henrico III. auertere voluisse. Agebant principes hi validi Burgundiae, communem, cum Ottone Campaniae regulo, caussam (*a*). Haec erunt, quibus



*Contract. ad an. 1043.* Wilhelmus hic, alias Otto vocatur, eratque pater Raynaldi ducis, quem alii peraeque, vti patrem, comitem vocant. *Anonym. vitae Halinardi Archiep. Lugdun. in Chronica S. Benigni saec. VI. Benedict. P. II. §. 10. 11, p. 40. Raynaldus comes dedit sancto Benigno, pro requie animae patris sui Ottonis vocati Wilhelmi -- in Evoregio terram. Actum est hoc, ab incarnat. domini 1000 vigesimo sexto, post mortem Wilhelmi comitis, qui ipso anno obiit. Otto Frisingens. de reb. gestis Friderici I. Lib. I. cap. 29. Raynaldus iste* (nepos, vel filius Raynoldi, de quo hic sermo est) *de antiqua illustri Burgundionum prosapia, originem trahens, illius Burgundiae comes dicebatur quae olim a Rudolpho rege, imperatori Henrico, Conradi filio, cum testamento relicta, regnum erat.* Haec, si vera sunt, Otto, totum patrimonium Raynoldo filio reliquit, Petrum vero, in Vngariam, ad Stephanum regem misit educandum ibidem, & ad honores summos promouendum. Colligo haec, ex sequentibus *Otton. Frisingens. l. cit.* verbis: *mos in illa* (Burgundia) *qui pene in omnibus Galliae prouinciis seruatur, remansit, quod semper seniori fratri eiusque liberis, seu maribus, seu feminis, paternae haereditatis cedat auctoritas, ceteris ad illum, tanquam ad dominum, respicientibus.*

*a*) Testis rei hujus est locupletissimus *Ditmar. Merseburg. Lib. VII. Fuit ibidem* (Argentorati) anno 1015. quo Rudolph. rex post sua fata, Burgundiae regnum, Henrico

Auguſtus, ad adfinitatem, cum Petro, fratreque eius Raynoldo contrahendam, prouocatus eſt. Iam certe anno

rico II. cognato ſuo promiſit) *Rudolphi inclita coniux, quae filios ſuimet dominos ſenioris* (regis Rudolphi) *autem ſui priuignos, Caeſari commendauit, & dilectis ſibimet militibus, hoc totum dedit in beneficium, quod ſibi, ab auunculo ſuimet, tum conceſſum, & quod Wilhelmus Pictauienſis* (pater Raynaldi, & Petri) *hactenus habuit regio munere praeſtitum.* Idem Ditmar de Wilhelmo, paucis interiectis ita: *Namque Wilhelmus praepotens vir, in his partibus, vt hoc omne comperit* (de quo in congreſſu Argentoratenſi tranſegerat Henricus II. cum Rudolpho) *eundem* (Rudolphum) *perſequi, & ad vltimum fugientem eundem ſolum canibus praecepit inquiri.* Paullo poſt haec, iterum: *Wilhelmus comes, miles eſt regis in nomine, & dominus terrae re, & in his partibus, nullus vocatur comes, niſi is, qui ducis honorem poſſidet.* Confirmat haec *Glaber Rudolphus in vita S. Quilielmi Abbat. Diuionens. cap. 17. ſaec. VI. Benedict. P. I. apud Mabillon. Godofredus atque Nitardus - - - Quilielmum, cum comite maximae partis Burgundiae Wilhelmo - - adeunt.* De Reginoldo comite vid. litt. praeced. Auſus eſt hic comes, anno 1041. ab Henrico deficere, Burgundosque, aduerſus eundem concitare. Legas *Hermann. Contract. ad an. 1041.* ſeq. Bellum hoc pax excepit, & adfinitas, quam Henricus, cum Raynoldo, Petro, & ſorore eorum Adelheide Auſtriaca, iniit. Hic vero Otto, ſeu Wilhelmus, habebat ampliſſima ſuperiori in Italia bona. *Dipl. Henrici II. in adpend. ad vitam Quilielmi Diuionens. §. 3. p. 348. habeat* (Fructuarienſe monaſterium) *& teneat, quieto iure, caſtellum Langobardorum, cum omnibus ſuis pertinentiis, & omnia praedia illa & cortes, quas dedit Otto, qui & Wilhelmus comes, filius Adalberti, nepos Beren-*

anno 1043. sollemnia nuptiarum cum sorore eorun-
F 3 dem-

*Berengarii regis, ipso loco, infra fines Longobardiae, ex haereditate parentum & propinquorum suorum.* Haec si vera sunt, facile colliges, cur domestici, extraneique scriptores Petrum, Wilhelmi gnatum, mox Theutonicum mox Venetum, vocent, licet hi in enarrandis natalibus agnatisque eius valde hallucinentur. *Thurocz in Chron. cap. 34. Wilhelmus pater Petri regis, frater fuit Sigismundi* (Rudolphi debebat scribere, licet nec huius frater fuerit), *sed, post interemptionem S. Sigismundi, venerat ad imperatorem,* (falsa haec sunt) *quem imperator collocauit Venetiis* (in Langobardia), cet. *Ranzan. in epit. rerum Vngar. ind. q. Huic* (Petro) *pater fuit Wilhelmus natione Germanus. Bonfin. Dec. II. Lib. II. Petrus, Stephani ex sorore, nepos, & Quilielmi filius, Allemannico genere natus.* cet.

Schema genalog. est sequens:

Berengar Italus, deuictus ab Ottone I.

Adalbertus

Wilhelm seu Otto Pictauiens. † 1026.
vx. Gisela soror S. Stephani R. Vngar.

| | | | |
|---|---|---|---|
| Raynaldus, successit in patrimonio auito. | Petrus R. Vngar. | Adelhaide vx. Adalb. March. Austr. | Agnes vxor Henrici III. Imperat. |

Notandum adhuc est, Wilhelmum seu Ottonem, illum esse ducem Venetorum, cui sororem S. Stephani collobatam esse nonnulli perhibent. *Dantul. in Chron. ad an. 1009. erat dux* (Otto) *annorum 18. quo tempore; Vngarorum regis filiam, & sororem Stephani successoris traduxit in vxorem.* Haec coniectura, si vera est, sine fundamento nostri scribunt, alteram sororem S. Stephani Wilhelmo Pictauiensi, alteram Ottoni Venetorum duci nupsis-

dem conficiebat (*b*). Vltimo, nec hoc silentio praetereundum est, communem aeui huius fuisse opinionem,

impe-

nupsisse. Wilhelmus enim Pictauiensis, & Otto Venetus, vnius sunt principis nomina. Ceterum, cur post Rudolphi ignaui fata, in regno Burgundiae, seu Arelatensi, Henricus II. &, hoc exstincto Conradus II. filiusque eius Henricus III. succedere voluerit, Otto vero comes Campaniae, cum Wilhelmo & Raynoldo Pictauiensibus regulis, eidem contrarii fuerint, ex hoc Schemate intelliges.

Rudolphus II. R. Burgundiae.

| | | | |
|---|---|---|---|
| Conradus R. Burgund. † 993. | | Adelheida vxor. Ottonis I. Imperat. | |
| Rudolph. III. ignauus R. Burgund. † 1032. | Gisela, vx. Henric. II. D.Bauariae | Bertha vxor Eud. seu Ottonis C. Campan. | Gerberga vx. Henrici II. ducis Sueuiae. |
| Henric. II. Imper. Roman. † 1024. | Gisela vxor S. Stephani I. R. Vngar. † 1038. | Otto seu Eudo inhiabat, post mortem Rudolphi ignaui regno Burgundiae † 1037. | Gisela vxor Conradi II. Imper. |
| | | | Henric. III. Imper. vxor Agnes Wilh. C. Pictau. filia |
| | S. Emericus dux. | | |

Sed haec curatius examinauerint rerum Francicarum scriptores.

*b*) *Hermann. Contract. ad h. an.* & alii littera praeced. commemorati.

imperatorem Romanum, totius orbis Chriſtiani, eſſe iudicem Dominumque. Vi poteſtatis huius, quam deploranda aetatis huius peperit inſcitia, tenebatur lites, quae inter Principes oboriebantur, cognoſcere, dirimere, & illis, quos vis atrox depreſſerat, opem ferre auxiliumque (c).

## §. IV.

His expeditis, accedamus iam propius ad inſtitutum. Communis ſcilicet eorum eſt, qui res geſtas Germanorum, memoriae prodiderunt, opinatio, Henricum hunc, ſeu auctoritate ſumma, qua in Germania pollebat, ſeu armis victricibus, Petrum, in priſtinum honorum faſtigium repoſuiſſe. Promeruiſſe, inquiunt, tantum Vngaricae gentis domitorem, vt quos ſub iugum mittere poterat durum, ſi voluiſſet, in clientela ſua fideque retineret. Factum id vero eſſe, aetatis, qua haec geſta ſunt, ſcriptores grauiſſimos, mira perhibere

c) Teſtes habeo locupletes annalium Germanicorum conditores. *Vippo in dedicat. vitae Conrad. II. apud Piſtorium: glorioſiſſimo imperatori Henrico III. regi, ad pacem & bellum idoneo, Vippo DEI gratia, presbyter, ſeruus regalium ſeruorum, totius orbis domino dominantium. Otto Friſing. Chron. Lib. VII. Cap. 34. Ibi* (in Boioaria) *eum* (imperatorem) *Labeslaus, ſupra nominatum Boritium, ſecum ducens, adiit, flebili & miſerabili voce, querimoniam ſuam, de priuatione paterni regni deponens, quatenus auctoritate imperiali, ad quam totius orbis ſpectat patrocinium, ei ſubueniat, depoſcit.*

re confenfione confpirationeque (*d*). Domeftici noftri fcriptores, cum multa alias, quam hi, eueniffe commemorant tum in primis diminutam effe Maieftatem Vngaricam, reftitutione hac, nemo eorum, quantum recordor, commeminit (*e*). At, cum Anonymus nofter apud Thuroczium, quem Bonfinius, aliique fequiores fequuntur, longo poft haec temporis interuallo vixerit, fcripferitque, fine fundamento, eosdem, hoc in argumento, aequaeuis anteponeremus. Qui ergo nos expediemus? facile, fine dubio, fi notauerimus, Petrum, non tam armis Francorum, auctoritateque Henrici, quam fauore Vngarorum, rerum moderа-

*d*) Audiamus *Vipponem* in vita Conradi II. *Vngaria, quam idem rex Henricus III. nobili atque admirabili victoria domuit, & poft victoriam* (ergo non armis) *fapientiffimo confilio, fibi, & fucceſſoribus fuis, ftabiliuit, cet. Alold. de Peklarn ad an. 1044. Petrus iterum rex in folium imponitur, & Henrico fidem iurauit, & quod regnum, eius beneficio acceptum ad imperatoris poteftatem redire deberet. Herman. Contract. ad h. an. Ouone rege, vix fuga elapfo, omnes Vngari, ad deditionem recurrerunt, fubiectionem feruitiumque promittunt* (fcilicet Petro). *Ipfe vero* (Henricus), *ut erat per omnia piiffimus, Petrum regem, dudum expulfum, regno fuo reftituit.*

*e*) Tradunt noftri, Abbam, ob crudelitatem, qua Petrum fuperabat, in contemtum deueniffe, aduerfariumque eius ad imperium recipiendum fuiffe reuocatum. Quae fi vera funt, non tam Henrico Augufto, quam ordinum fingulari propenfioni, debebat, quae recuperauerat, fceptra. Legas *Thurocz. Bonfin. Dec. II. Lib. II.*

deramen resumfisse. Crudelitas, cui se impotentis animi rex Abba, totum tradiderat, ita eum reddidit exosum, vt Petrus ad noua consilia, gentem Vngaricam, obedientiorem, quam crediderat, tertia in expeditione, deprehenderit. Sperabant Vngari principem hunc, tantis aduersitatum procellis exagitatum, maturiora reportaturum in Vngariam consilia (*f*). Si, prima statim expeditione Henricus, vires Vngarorum adeo infregerat, vt eos, ad dimittendum Abbam impulerit, cur permisit, vt summam rerum, ad alterum potius Principem, quam ad eum, quem reducere volebat, deferrent? permisisse vero id eundem, auctor, cui fides denegari nequit, commemorat (*g*). Si vero, quod prima

*f*) Ita nostri rem tradunt, *M. Thurocz Chron. cap. 37. Bonfin. Dec. II. Lib. II. Contract. vero ad an. 1044.* haec commemorat: *omnes Vngari, ad deditionem regi* (Petrum intelligo) *cateruatim concurrerunt, subiectionem seruitiumque promittunt* (Petro). Idem, ante haec, perhibet Henricum, validum Abbae exercitum, cum mediocri manu, apud flumen Rabam profligasse. Deferebant scilicet multi Vngari ordines, & ad partes Petri transibant cateruatim. Tradit id non obscure *Alold. de Peklarn* ad an. 1044. *apud Rabam fluuium, apud Iauerenk* (Iaurinum) *penitus debellarunt Ouonem, quem sui plurimi in bello deseruerunt, fuga elapsum, proprii subditi occiderunt.* Idem loc. cit scribit, *Abban ergo subditos suos insolescere, & religionem Christianam tollere non dubitasse.* Conf. *Herman. Contract. & Lamb. Schaff. ibid. ad h. an.*

*g*) *Hermann. Contract. ad an. 1043. sed, cum Petrum regem, quem secum ducebat, nulla ratione prouinciales recipere consentient,*

prima atque altera necdum potuit, tertia exsequutus est felicius expeditione, cur, pacata non nisi Vngaria, suam in fidem reuocauit Petrum? cur rem ita non instituit, vt rex, ordinibus adsentientibus, suam in clientelam concederet *(b)*?

§. V.

*tirent, alium quendam, quem petebant, ducem eis constituit, quem tamen statim, post discessum eius, Ouo rex, de prouincia sua, in Bohemiam depulit.* Eadem repetunt *Annal. Hildesh. & Marian. Scotus ad h. an.* Alias tamen rem hanc exponit *Alold. de Peklarn* ad an. 1042. *Pannonii coguntur vel Petrum recipere, vel alium e suis ducem sequi, quem rex Heinricus deputauit, deposito Ouone. Sed, quia Vngari, neque Petrum, neque nonum ducem volebant: Ouo tandem se valde humilians, impetrauit ab Henrico, vt sibi regnum promitteret. Addiderat ille precibus etiam dona.* Si quid de his iudicare possum, confundit Aloldus, alteram, cum prima expeditione. Prima, in locum Abbae, Vngaricus aliquis princeps, forte Andreas, vel Bela, in Principatum fuerat euectus, altera vero Abba, certis confirmatus legibus. Ita enim *Lambert. Schaffnab. ad an. 1043. rex, secunda expeditione, Vban* (Abbam) *ad placitam sibi pactionem coegit, acceptisque, ab eo, de pace, iuramentis & obsidibus, reuersus.* Eadem habet etiam *Herman. Contract. & Chronogr. Saxo, ad h. an.*

*b*) Occisus est Abba ab Vngaris. Delapsum vero eundem in grauiora, quam ea fuere, quae in Petro nostri reprehendebant scelera, *Aloldus* quoque de *Peklarn* testatur. Ita enim ad an. 1043. *Ouo fiduciam habens, de gratia sibi, apud regem Henricum firmata, erga subditos suos insolescit, & religionem quoque Christianam tollere nititur.*

## §. V.

Quia vero nihil magis sententiae, quam propugnamus, aduersum est, quam sollennis hic actus, quo, Petrus, euocato Henrico imperatore in Vngariam, regnum Vngariae, in clientelam tradidit: ostendendum iam est, eundem, per id nihil in imperatorem & imperium potestatis transferre potuisse. Euocasse Petrum, Henricum, in Vngariam sollenni ritu, & clientum eius numerum augere voluisse, ex Hermanno in primis Contracto annalium Germanicorum conditores ostendunt (*i*). Quam tamen parum his in verbis praesidii deprehendant, erudite nuper ostendere voluit Reuer. P. Georg. Pray in annal. regni Hungariae in vita Petri pag. 49. (*k*). Ita nos quoque nodum hunc gordium soluendum esse

 exi-

*i*) Contractus ita rem ad an. 1045. exponit: *Petrus rex Vngarorum Henrico rege ad se inuitato, regnum Pannoniarum tradidit, quod tamen ab eo, ipse dum viueret, possidendum recepit.*

*k*) In vita Petri p. 49. *sed, cum,* inquit, *Pistorius & Vrstisius Chronici huius editores, testentur, vetus, cum nouo, ad an. 375. congruere, in caeteris autem annis discrepare, praeterea Canisius, qui locupletiorem editionem fecit, fateatur, descriptores huius Chronici, pro suo captu, iam quaedam adiecisse, quaedam contra resecuisse, incertum prorsus est, quae editio, prae caeteris, fidem mereatur, cum, vna, ex his, solum habeat, Vngaros petiisse: vt ad normam Boioariorum regerentur, ex quo opinor, non recte deducitur, Caesaribus quidquam iuris in Hungariam fuisse, nisi ad summum protectionis, vt dicimus, quod ipsum tamen ex Andreae rebus, vehementer dubium fuisse liquet.*

exiſtimaremus, ſi ſolus eſſet, aetatis huius auctor, qui haec in commentaria retulit, Hermannus. Sed, cum alii etiam, quorum auctoritas, apud eruditos, magna eſt, idem perhibeant (*l*): alia exquirenda erunt arma. Mihi profecto, quidquid eſt difficultatis ſuſtuliſſe videtur feliciter Illuſtris Ad. Franc. Kollar. Ita enim ſententiam ſuam profert: *etenim, quod is* (Petrus) *grati animi ſui ergo, offerre Cæſari auſus eſt, id ad gentem vniuerſam non pertinet, cuius adſenſus, vt homagium eſſet legitimum, erat neceſſarius* (*m*). Adfinia his tradit ipſe eruditus P. Pray, l. cit. (*n*). Niſi ergo aduerſarii probatum dederint,

*l*) *Alold. de Peklarn ad an. 1044. Tunc Petrus iterum rex in ſolium imponitur, & Hainrico fidem iurauit, &, quod regnum, eius beneficio acceptum, ad imperatoris poteſtatem redire deberet. Vippo in vita Conradi II.* imperatoris: *Vngaria*, inquit, *quam idem rex Henricus III. nobili atque admirabili victoria, domuit, &, poſt victoriam* (adeoque vltimam poſt expeditionem contra Abbam) *ſapientiſſimo conſilio, ſibi, & ſucceſſoribus ſuis, ſtabiliuit.* cet. Immo ipſe M. *Thurocz* l. c. *Cap. 38. ſequenti anno reuerſus eſt Caeſar in Vngariam, cui Petrus rex in ipſa paſchali ſollennitate, regnum Vngariae, cum deaurata lancea tradidit, coram Vngaris, ſimul & Theutonicis multis, etiam inſuper & magnificis muneribus.*

*m*) In *hiſtoria* diplom. *iuris patronat. Lib. II. cap. 7.* Idem *Lib. I. cap. II.* ita: *in iſta rei publicae ratione, conſenſus ducum, procerum, populique, erat neceſſarius, vt regnum cuipiam donari legitime, libertatiſque reges eligendi limites reſtringi poſſint.*

*n*) L. cit. p. 50. *ſed cum noſtri haec ſilentio praetereant, & credibile non ſit. Hungariae proceres, niſi armorum vi adactos,*

rint, Petrum, haec, adſentientibus Vngaris, feciſſe, oleum perdent operamque. Inuitis tamen, & quamplurimis inſciis etiam, alienationem hanc facere voluiſſe regem, motus, quos eadem peperit, edocuere. Non erant tam obtuſi ingenii Vngari, vt, quo animo, haec fecerit intentioneque Petrus, perſpicere nequiuiſſent. Obſeruabant, eundem, dimiſſo Henrico, ad genium rediiſſe, ſecreta cum popularibus colloquia ſerere, triſtiſſimaque crudelis animi edere coepiſſe documenta (*o*). Ea ex ratione, par priori, immo funeſtius renatum eſt bellum. Vngari enim, euocato ad imperium Andrea, cognato eiuſdem non prius ad otium rediere, quam deuicto & cuſtodiae tradito rege, qui caeſus, Auſtriam verſus fugere, ſeque fidei expertae Germanorum committere volebat (*p*). Haec, quum ita habeant, mirari ſatis nequeo, quod viri, de hiſtoria & iure publico Germaniae immortaliter meriti, alie-

G 3 natio-

*ctos, in haec pacta conſenſiſſe, praeterea, nemo Caeſarum, praeter Henricum, quodſciam, ſibi quidquam praerogatiuae in Hungariam arrogarit, veriſimile eſt, aut nihil ex Petri ceſſione iuris, in Germanorum reges, traductum fuiſſe, aut ſi quid iſthinc iuris obortum fuit, magis ex Petri libidine, quam Vngarorum conſenſu obortum eſſe, cenſendum eſt.*

o) *Alold. de Peklarn ad an. 1045. Petrus, apud Vngaros, in priora vitia relabitur, & noua apud ſubditos, odia contrahit. Thurocz. cap. 39. Petrus rex, per poteſtatem regis Theutonicorum elatus, non iam regnabat, ſed potius tyrannidis ſuae crudelitate, Hungariam deprimendo, flagellabat.*

p) Legas *Alold. Hermann. Contr. Lamb. Schaffnab. alios, ad an. 1046. & Pray l. c. p. 51.* ſeq.

nationem, quae nulla erat, Germanis ius in regnum Hungariae adtulisse existiment (*q*).

§. VI.

q) *Herman. Conring. de finibus imperii*, *Henric. de Cocceiis in comp. iuris publ. cap. V. sect. I. §. 7. Gabr. Schweder in introd. in ius pub. imperii Rom. German. P. Gen. cap. 4. Burch. Gotthelff. Struue in corp. histor. German. Per. VI. Sect. II. in vita Henrici III. §. 3. Io. Petr. Ludwig. in Germ. princ. in singular. iur. publici*, *Sim. Frider. Habnius* in vollständiger Einleitung zu der deutschen Stats-Kriegs-und Kaiser Historie, *cet. in vita Henrici III. Io. Iacob. Mascouius in comment. de rebus imperii Lib. V. cap. 23. & in principiis iuris publici imperii*, *Lib. II. cap. 2. §. 40.* reliqui rerum Germanicarum scriptores. *Io. Petrus Ludwig in discours* über Herrn *Burchard Gotthelff Struuens* Einleitung zur deutschen Reichshistorie *p. 113.*, ita audacter scribit: Auch hierinnen sind die Ungarische Scribenten sehr seltsam. Denn, es geben selbige vor, daß der Kaiser hierunter, nicht als necessarius iudex, angesehen worden, und daß unsere deutsche Scribenten nicht mit den Ungern, hierunter übereinkommen. Allein, da diese Dinge alle von dem Kaiser, ex officio angenommen worden, und gegen die Ungarische Stände, mit Gewalt derer Waffen befochten worden; so ist es wohl mehr als zu klar, daß Ungarn dem Kaiser nicht als einen Schiedsmann, sondern als einen Richter consideriret. Vtinam Ludwig, quae hic dicit, probasset! sed, nullibi ostendit, nec ostendere poterat, legitimo iure, potestatis quid, imperatorem imperiumque, in Vngaros, & regem eorum consecutum fuisse. Quorsum ergo haec dictatoria verba? *Mascou. in principiis iuris publ. Lib. II. cap. 2. §. 41. sed, turbata sub Henrico IV. republica, plenam libertatem resumsit, atque illibatam seruauit.* At, resumere non habebat necessum liber-

## §. VI.

Expeditiora iam erunt, quae hanc in rem, ex euentis Vngaricis sequentium adducuntur temporum. Sequemur ordinem, quem ipsa rerum consecutio suppeditat, &, quae facies fuerit maiestatis Vngaricae, Andrea I. regnante, contemplabimur. Hunc & principio statim imperii, & postea, plus simplici vice, in fidem Henrici redire voluisse, ex priscis ostendunt, qui nobis hic sunt contrarii, litterarum monumentis (r). Ego quidem haec inficias ire nolo, existimo tamen parum ad praesentem rem facere. Probandum enim est, ordines etiam regni, in eandem, cum Andrea abiuisse sententiam. Cur Henricus legibus his, quarum Andreas rex copiam facere volebat, inire pacem recusabat? Debuit scilicet cognoscere, non deesse Andreae artem ad conciliandos Vngarorum animos, & anteuertenda

libertatem, qua sub Henrico III. non exciderat Vngaria, illibatam vero semper seruasse eandem, certum est. Ceterum, aequiores curatioresque rerum Germanicarum scriptores, cum Mascouio, Vngariam, hac sola occasione, ad imperium deuenisse, scribunt.

r) Consulas *Alold. de Peklarn, Herman. Contract. Annal. Hildesh. Lambert. Schaffnab. ad an. 1047.* seq. &, ex his, recentiores, quos iam litt. praeced. excitauimus. Inducias semel atque iterum, tributo redemisse Andream, iidem quoque veteres scribunt. Nec id negauerim: vt tamen ad fidem se obedientiamque imperiorum Henrici Vngari composuissent, nulla id a se ratione impetrari sunt passi. Legas quoque patrios scriptores *Thurocz cap. 39. seq. Bonfin. Dec. II. Lib. II.*

tenda Germanorum conſilia perniciabilia. Cur, pace, qua, bellum, non ſine vtriuſque gentis iactura grauiſſima diutius protractum, & non niſi anno 1052. confectum eſt, nihil iuris in regnum Vngariae ſibi vindicauit? cur, adfinitate, non fide, ſe, cum rege Vngariae colligauit (s)? Cauſſa alia nulla eſt, quam quod rex noſter omnibus artibus belli eum ſit ludificatus. Haec tamen adfinitas, quum Vngaros omni iam metu ſoluiſſe videbatur, nouam malorum molem attulit. Cum enim Andreas ope & conſilio adfinis ſui, Henrici IV. conniteretur, ſummam rerum, ſua poſt fata in filium ſuum Salomonem, fratre Bela, ejuſque gnatis Geyſa & Ladislao excluſis, transferre: hi, anno 1058. ad vim ſe contulerunt. Andreas in diſcrimen adductus graue, filium, coronam, theſauroſque, vicinam in Auſtriam, tempeſtiue promouit. Antequam tamen maiores expeditioresque copias accepiſſet, armis, cum hoſte, congreſſus eſt, funeſtumque ſibi conſciuit exitum (t).

§. VI.

s) Pacem procurauit cura exquiſita prudentiaque Leo IX. Pontifex, quem vterque rex arbitrum eſſe volebat, amicitiaeque inſtauratorem. *Alold.* de *Peklarn ad an. 1052. Hermann. Contract. ad an. 1057.* Promiſſa eſt Saloмoni Sophia, ea lege, vt hic, poſt fata patris, Vngariae ſceptra teneat habenaſque. vid. cit. in primis *Alold. ad an. 1058.*

t) Legas *Alold. ad an. 1060.* ſeq. *Hermann. Contract. Lamb. Schaffnab.* Confer etiam *M. Thurocz Chron. cap. 44. Bonfin. Dec. II. Lib. III.* Hic iterum tela quaerunt

non-

## §. VII.

Salomonem, auxilio Henrici regis regnum Vngariae recuperare, hocque, ſacro Romano Germanico imperio, fiduciarium reddere voluiſſe, omni caret dubietate. Factum tamen id eſſe inuitis Vngaris, quiuis facile conceſſerit, qui, apud animum conſiderauerit, Salomonem, quidquid Henrico promiſit, in exilio promiſiſſe. Sed, non prorſus inanis eſſe videbatur Germanorum in reſtituendo Salomone opera. Anno enim 1063. Geyſa dux, pacem ancipiti belli euentui anteferens, tutum eidem in Vngariam reditum priſtinumque decus regium, certis legibus, reddebat. Eo vero memorabilior erat haec imperii recuperatio, quod ipſe Henricus 13. aetatis annum agens, copiam ſui, cum ea accideret, Vngaris fecerit, eosdemque ad obedientiam imperiorum Salomonis, verbis excitauerit. Exponunt rem, non Germanici tantum ſcriptores (*u*); ſed patrii etiam, in primis Anton. Bonfinius. Hunc tamen

nonnulli diſſentientes, perhibentque, propterea, ad Germanos, Salomonem, exſurgente hac procella, ſe contuliſſe, quod regis eorum cliens fuerit. Vide iterum inſtar omnium *Io. Petr. Ludwig in German. principe l. cit. p. 49.* vbi haec ſubnectit: *inauguratus Hungariae rex, Caeſari imperioque formulam fidei & clientelae firmauit religione iurisiurandi.* Optaſſem, vt haec Ludwig, vel diplomate, vel decretis regis huius probaſſet.

*u*) Excutiendi, prae reliquis, *Alold. de Peklarn*, *Herm. Contract. Lamb. Schaffnab. & Chron. Mellicenſe ad h. an.*

tamen merito rideas, quod, quum haec enarrat, Oratoris magis, quam historici, videatur defungi munere. Adolescenti enim regi Henrico, grauem orationem, qua inconstantiam Vngarorum acrius castigat, inconsideratius adtribuit (*x*).

## §. VIII.

Actus alterum anno 1071. in exilium Salomon, omnia exquisiuit, quae ad subigendos Vngaros, Geysamque & Ladislaum reges deuincendos pertinere videbantur. Voluit iterum, legibus illis, quibus iam antea, concedere in fidem & clientelam Henrici imperiique (*y*). Quia tamen parum auxilii, a Germania, quae, graue, in visceribus suis, sentiebat bellum, poterat exspectare, perditis iam propemodum rebus ad Cuma-

*x*) Adeas eundem *Dec. II. Lib. III.* Extrema verba haec sunt: *ego vero, quem iusseritis, regem Salomonem, augustali auctoritate confirmabo.* Conf. *Thurocz. cap. 4. Ranzan. ind. 10.*

*y*) *Lambert. Schaffnab. ad an. 1074.* & in primis litterae quibus Salomonem exulem verbis verberat durioribus, quod, ad Henricum potius, quam ad se confugerit. *Tu*, inquit, *in ceteris quoque, a regia virtute & moribus, longe discedens, ius & honorem sancti Petri, quantum ad te, imminuisti & alienasti, dum eius regnum, a rege Teutonicorum, in beneficium, sicut audiuimus, suscepisti.* In alia ad Geysam data epistola, ita haec exprobrat: *quod* ( regnum Vngariae), *quia consanguineus tuus, a rege Teutonico, non a Romano Pontifice, vsurpatiue obtinuit, dominium eius, vt credimus, diuinum iudicium impediuit.* Vide vtramque epistolam apud *P. Pray l. c. p. 74.* seq.

Cumanos atque Graecos, anno 1086. ſe conuertebat (z). Iudicem forte compellabunt orientis imperatorem, quem, litem, Salomonem inter, & Vngaros, diutius protractam, componere oportebat. Ita omnino argumenta nectere poſſunt, qui Ioan. Petri Ludwig veſtigiis inſiſtere volunt. Sed cui nugae hae placebunt?

## §. IX.

Dedit Salomon rem mali exempli, compluribus principibus regiis, qui, ad res nouandas, animum, poſt eum, adpellebant. Quoties namque ſibi regem iniuriam intuliſſe exiſtimabant; toties, eandem fraudis viam inibant. Ad vicinos omnino ſe proripiebant Principes & turbas in Vngaria, licet numquam fere ſucceſſus conatis reſponderit, excitabant. Fecit id, Colo-

H 2 manno

z) *Anna Comnena Alexiad. Lib. VII.* Conf. patrios quoque ſcriptores, *M. Thurocz Chron. C. 56. Tim. ad h. an.* Quo ſit, poſt collata, cum Vngaris, infeliciter ſigna, delatus, deuictus Salomon, intricata eſt inter eruditos diſceptatio. Plerique volunt, eundem, ſacrum cum militari commutaſſe genus, Polaeque in Auſtria e vita abiiſſe. Leg. *Bonfin. Dec. II. Lib. IV.* Ego, cecidiſſe eundem in proelio, vt credam, ſequentibus *Bertholdi Presbyteri Conſtantiens. ad an. 1087.* inducor verbis: *Salomon quoque rex Vngarorum, ſed, a Ladislao, iam regno priuatus, & in exilium expulſus, dum quiddam fortiter contra* (forte cum) *regem Graecorum molitur, poſt incredibilem hoſtium ſtragem, & ipſe viriliter occubuit.* Haec ſi vera ſint, quid iudicandum ſit, de iis quae *P. Pray loc. cit.* commemorat, facile quisque collegerit.

manno, Geysae I. filio, ad clauum sedente, frater eius Almus, qui, id in primis praecauendum esse rebatur, ne, exstincto Colomanno, filius eius Stephanus II. sibi anteponeretur. Quum spei parum facerent Vngari, ad propositum hoc promouendum, ad Henricum V. imperatorem potentem, se recepit, eidemque Vngariae debellandae exstitit auctor. Praebuit principi huic patulas aures insatiabilis animus imperatoris, qui, omnes fere imperii vires, in vnum Colomannum conferre non dubitabat. Ductu tamen & auspicio regis feliciter, aduersus eum, res est anno 1108. gesta, necessitasque, hoc adhuc anno, imposita, ordines adtritos ad patrios reducendi lares (*a*). Consurgunt hic iterum, quibus contra ire non dubitamus, eruditi, exclamantque adesse, nouum potestatis, quam imperatori deferunt, in Vngaros, regemque eorum argumentum. Cur? quia refugium quaesiuit, apud Augustum, Almus, eiusque opera, sibi regnum volebat adserere (*b*). At, memi-

*a*) Caussas belli Colomanno anno 1108. denunciati varias adducunt doctores, quas in compendio tradit *Frid. Sim. Hahnius* in der Reichshistorie *P. III. Cap. III.* §. *3.* Genuinas eas esse, quas adtigi, discas ex *Ottone Frisingensi Chron, Lib. VII cap. 17. Conrad. Vrspergens. Annal. Sax. Dlugosso hist. Polon. Lib. IV. ad an. 1108.* & patriis scriptoribus, *Thurocz cap. 60. Bonfin. Dec. II. Lib. V.*

*b*) Excute *Struu. l. cit. Io. Petr. Ludwig in Germ. Principe*, & *in discours* über *D. Struuens* Reichshistorie, *vbi ita audacter:* als Richter, und gar nicht als Schiedsmann: *Colomannus* und *Almus* **Brüder, davon der letztere zum Kaiser sich, als Lehnsrichter, gewendet.**

meminerint graves viri, eundem, a Germanis, ad Romanos, qui in oriente erant, transiisse (c), ab hisque, auxilia, quorum Germani facere non poterant potestatem, expetiisse. Quis vero his aliquid iuris in Vngariam adtribuet? Obiecit se, omnibus his tempestatibus, victoriis pluribus insignis Colomannus, &, non solum auertit hostem gloriose, sed auxit etiam maiestatem Vngaricam, post Croatiam, Dalmatiamque, Halicia subacta (d).

H 3 §. X.

c) *Thurocz Chron. cap. 60.*

d) De Croatia atque Dalmatia res satis est expedita, legas *Luc. Lib. III. Cap. I. seqq.* Halicia, quam Galiciam etiam vocamus, perplexa admodum, Oedipumque deposcens. Pugnasse, eundem, aduersus Ruthenos, sed inauspicato, nostri quoque admodum confuse tradunt. *M. Thurocz cap. 60. Bonfin. Dec. II. Lib. V.* Si Polonicos antiquiores diligentius lustrauerimus annales, haud difficulter colligemus, regi nostro, cum Russis non minus, quam Polonis, lites fuisse, bellaque, ob ditiones Russicas. Videntur quippe Poloni non minus, quam Vngari, Haliciae, vicinisque prouinciis inhiasse auidius. *Boguphalus II. episcopus Posnaniensis in Chron. Polon. cum continuat. Paskonis custodis Posnaniensis apud Frid. Wilh. de Sommersberg in Silesiac. rerum Scriptor. T. II. p. 30. Boleslaus* (III. dux Polonum) *duxit vxoren - - - filiam regis Haliciae vnicam. de qua genuit Vladislaum II. & vnam filiam. Idem* auctor l. cit. *p. 36. Iste Boleslaus, filiam suam, de Ruthena genitam Colmanno* (lego Colmanni) *Regis Hungarorum filio matrimonialiter copulauit. Qui, nomine dotis, castellaniam de Spissz, quoad viueret, possidendam assignauit. Quem Coloman-*

## §. X.

Post excessum Stephani II. Boritius, quem Germanici

mannum (Colomanni filium), *vna, cum rege Hungarorum, Haliciensibus in regem praefecerunt, ipsum coronari facientes. Dlugossus in histor. Polon. Lib. IV. ad an. 1108. Colomannus Vngariae rex, filio suo, natu maiori Stephano, filiam Judithbam, Boleslai Polonorum ducis, desponsat vxorem. Prouinciam Scepusiensem, quae, tunc temporis, iuris Polonorum fuit, & pars non modica in terra Cracouiensi consistebat, Boleslaus, filiae, in dotem consignat. Ab eo quoque tempore, sequestrata a Polonia, in proprietatem & ditionem Vngarorum transiit.* Haec Dlugossus de connubio Stephani II. de Halicia nihil. Aut me omnia fallunt, aut iam S. Stephanus rex Haliciam tenuit, eandemque, per filium Emericum rexit. Colligo hoc ex *Annal. Hildesb.* qui ad *an. 1031.* haec habet: *Heinricus Stephani regis filius, dux Ruizorum, in venatione ab apro discissus, periit flebiliter mortuus.* Quam hic intelligit Russiam? sine dubio, Vngariae atque Transiluaniae vicinam. Adeoque, partem Russiae rubrae, ad Carpatum retrusam, in qua est Halicia. Post bella & contentiones multas, Colomannus, cum Polono, foedus iniisse, illeque Russiam, de qua hic sermo est, retinuisse videtur. *Boguphal. l. cit. cap. 39.* linea extrema: *Qui* (Rutheni) *Haliciensem regem, Principis Boleslai generum, a regno eiiciunt, qui, ad regnum Boleslai soceri sui confugiens, apud ipsum, cum vxore, aliquamdiu fuerat commoratus.* Mox pag. 40., *Pannonii quoque, Haliciensi regno contigui, & de Ruthenorum astutia non ignari, querelas, calidissima astutia, commentatas, deplangunt, subsidiari deprecantes, vt regem propulsatum regno restituant,* cet. *Dlugoss. Lib. IV.* ad an. 1137. paullo aliter euen-

euentum hoc obſcurum commemorat. Tradit enim Iaroslaum, Haliciae ducem, a Ruſſis actum in exilium, ad Boleslaum ducem Polonorum confugiſſe, & a Polonis acceptum eſſe liberaliter. Poſt aliquot tempus, Halicenſes, ad dolum ſe conuerterunt, & principem ſuum, per legatos, repetierunt, rogaruntque, vt Boleslaus, eundem, reducat in prouinciam pacatam. Acceſſerunt Vngarici Oratores, promiſeruntque ſuam operam & auxilia Polono. Hunc incautum, verbis dediſſe locum in animo, & abiuiſſe parua cum manu in Haliciam; circumdatum tamen ab hoſtibus, cladem hauſiſſe funeſtam. Non eſt praetereundum, Boguphalum l. cit. ſcribere, Iuditham Polonicam, poſt mortem mariti prioris Stephani, Ruſſico nupſiſſe principi, Haliciamque retinuiſſe. Si fidem, ea, quae Boguphalus narrat, merentur, vterque Princeps ex Ruſſica hac Principe, complures ſuſtulit filios. Haliciam, poſt fata Iudithae, primum filius eius, quem poſteriori peperit marito rexit, poſtea vero, hoc exſtincto, Lodomirus Stephani filius eam eſt conſecutus. Ita laudatus auctor pag. 48. *Kazimirus glorioſus victor de Ruthenis exiſtens, ſororis ſuae primogenitum - - - - de regno eiectum principem, Halicienſibus reſtituit. Qui, poſt receſſum Kazimiri auunculi ſui veneno a ſuis propinato, fuit exſtinctus. Qui, in regno Halicienſi, Lodomirus frater eius per matrem, Kazimiri ſororem ſucceſſit. Fertur namque, & in quibuſdam chronicis ſcriptum reperitur, ſororem Kazimiri praedictam, filiam Boleslai Crziuouſti, primo filium regis Pannoniorum, virum habuiſſe, de quo hunc Principem reſtitutum genuerat, antequam vir eius de regno fuiſſet eiectus. Nortuo autem filio regis Pannoniorum, viro eiuſdem, Boleslaus Criſpus, ipſam cuidam Principi Ruſſiae dederat in vxorem, de qua plures filios procreauerat, in Alicienſi principatu agens, &, cum primogenitus eiuſdem nepos Pannoniorum regis regnum Halicienſe, a fratribus, & a vitrico reſtitui,*

*tui*, *veluti primogenitus*, *& ad ipſum*, *ex ſucceſſione paterna ſperatam*, *mater eius*, *ad iuſſum viri*, *vt creditur*, *negabat ipſum filium ſuum eſſe*, *aſſerens*, *ſuppoſitum viro ſuo primo gratia complacendi*. Confuſa omnia & perplexa. Si quid coniectura aſſequi videor, exiſtimo, auctorem, vxorem Colomanni poſteriorem Ruthenam, confundere cum vxore filii eius Stephani II. Deinde, videtur mihi confundere Iuditham, matre Ruſſica natam, cum eius conſanguinea, qua cum Colomannus anno 1112. matrimonium iniit. Forte promouit illud Boleslaus rex Polonorum, extremis Colomanni annis, Haliciosque eo perduxit, vt, ſe, vel regi huic, vel filio eius Stephano, ſubderent. Niſi forte dicas, Almum, cum Iuditha Polonica, vel alia Ruſſica Principe, iniiſſe connubium, &, de eo valere, quae de Colomanno ſcriptor hic antiquus tradit. *Dlugoſſ. Lib. VI. ad an. 1193.* ſcribit, pacem inter Belam, & Polonos coaluiſſe, ea lege, *vt Bela, Vngariae rex*, *ſuo ampliſſimo Hungariae regno contentus*, *regiones Ruthenorum*, *ad Poloniae regnum*, *ſpectare permittat*. Haec, ſi vera ſunt, Bela II. aliquid iuris ſibi in Haliciam vindicabat. Vnde illud deriuabat? non a nuptiis Stephani, cum Iuditha; adeoque, a Colomanni aetate. Noſtri ſcribunt, Andream II. Halicia auxiſſe Hungaricam maieſtatem. Vid. *P. Samuel Timon in imag. Hungariae nouae Cap. XIII. Dlugoſſus* vero auctor eſt *Lib. VI.* Belam III. iam, Haliciae, filium ſuum, Andream, cum imperio, praefeciſſe. Haec, quomodocunque ſe habeant, vix tamen vmquam probabitur, Iuditham, Stephano collocatam eſſe, cum ille vnam tantum habuerit vxorem, quam anno 1125. tori ſui feeerat ſociam. Vid. *Thurocz l. cit. cap. 63. Ranzan. ind. 13. & Bonfin. Dec. II. Lib. VII.* Praeterea, exploratum eſt, Stephanum decedentem, nullam reliquiſſe prolem, & propterea fratrueli Belae II. imperium tradidiſſe. Nihil moneor, quod *Dlugoſſ.*

*l.*

manici ſcriptores filium Colomanni fuiſſe (*e*), noſtri vero

*l. cit. Cromer. de reb. Polon. Lib. V.* immo & *Boguphalus l. c.* Stephano, liberos adtribuunt. Nihil hac de re in patriis, nihil in Germanicis deprehendo annalibus. Boritius, dicebat ſe fratrem Stephani II. & propterea, eius poſt obitum, ad ſceptra Vngarica adſpirabat, ſed, praeter eum, nullus alter Princeps. Caſtellaniam vero Spiſſz, cuius Boguphalus, & qui eundem ſequuntur, meminerunt; non exiſtimo, Scepuſienſi in prouincia, eſſe quaerendam, ſed in Pocutia hodierna ad Carpati radices, prope Haliciam. Proſtat, nomen hoc, noſtra quoque aetate, in nonnullis tabulis Geographicis. Placet hic iterum *Boguphalum* loquentem *l. cit. p. 36.* adducere: *Boleslaus*, inquit, *filiam ſuam*, *de Rathena genitam*, *Colomanno* (lego Colomanni) *regis Hungarorum filio*, *matrimonialiter copulauit. Qui*, *nomine dotis*, *caſtellaniam de Spiſſz*, *quoad viueret*, *poſſidendam aſſignauit. Quem Colomannum* (Colomanni filium) *vna cum rege Hungarorum*, *Halicienſibus in regem praefecerunt*, *ipſum coronari facientes. Cuius coronationem*, *rex Boleslaus*, *prout erat credulus*, *per regem Hungariae doloſe circumuentus*, *caſtellaniam de Spiſſz*, *&*, *loco eiuſdem*, *caſtellaniam Przemiſlienſem nomine dotalitii filiae ſuae recepit.* Aut me omnia fallunt, aut Scriptor hic, caſtellaniam Spiſſz, prope Haliciam, collocat. Pertinuiſſe vero iam ante Colomannum regem, Scepuſium, ad Vngaros, ex *Coſma Pragenſi*, qui anno 1124. viuere deſiit, euidens eſt. Recitat is *Lib. III. Chron. ad an. 1088.* Henrici IV. Auguſti inſtrumentum, quod eundem, ſignantem, ſe vidiſſe ſcribit, & ex hoc ſcriptore *Melch. Goldaſtus in comment. de regni Bohemiae iuribus ac priuileg. in adpend. docum num. IX.* in quo haec deprehendes: *inde*, *ad orientem*, *hos fluuios*, *habet terminos* (epiſcopatus Pragenſis) *Bug ſcilicet & Ztir*, *cum* Kra-

mus iterum, Boritium, ordines quoque Polonicos (*h*), atque Graecos, plus ſimplici vice, aduerſus Vngaros duxiſſe (*i*). Nihil tamen extranei poterant, incoepta eius foeda, promouenda, contribuere, quin potius noſtris vincendi hoſtem fortunam offerebant. Ni inquietus Boritius, anno 1156. in praelio, quo, cum Vngaris, congreſſus eſt (*k*), cecidiſſet, agros Vngaricos cum caedibus ac incendiis fuiſſet perpopulatus. Poſt Conradum, Fridericus I. ſi, per bella graviſſima, quæ

I 2 eum,

*ſtiſiana Lib. I. cap. 30. qui* (Auſtriaci) *reſponderant, ſe, nec pro Romanorum principe, nec pro duce ſuo, hoc feciſſe, ſed pro Domino ſuo Boritio.* Notent haec bene, qui, hac ab expeditione Germanica, argumenta petunt pro iure imperatori & imperio in Vngariam adſerendo. *Struue l. cit. Ludwig in Germ. Princ. P. I. cap. I.* Nihil facit ad rem, quod *Otto Friſing. Chron. lib. VII. cap. 19.* ſcribat, *Vngarorum regem, terrore perculſum, multa & magnifica munera, Conrado ſubmiſiſſe.* Quis hinc concludet, regem noſtrum, partem imperii Vngarici, imperatori & imperio ceſſiſſe?

h) *Otto Friſing. Chron. Lib. VII. cap. 31. & de geſtis Frider. I. Lib. I. cap. 30. Alberic. Monach. trium fontium ad an. 1135. Thurocz cap. 61. Bonfin. Dec. II. Lib. VI.* alii.

i) *Otto Friſing. de geſtis Frider. I. Lib. II. cap. 31.* ad an. 1156. vnde euidens eſt, vtrumque imperatorem, reponendi Boritii in regnum cauſſa, foedus, aduerſus Geyſam II. regem iniiſſe. Conf. *Cinnam. Lib. III.*

k) *Otto Friſingens. l. c. ad an. 1156. Non longe ante haec tempora, Graecorum Princeps, cum Boritio, contra Vngaros, copias mittens, magnum ſui detrimentum accepit exercitus, in tantum, vt & Boritius, a quodam, qui ſecum venerat, Cumano, qui & Scytha, ſagitta transfixus necaretur.*

eum, omnes in partes trahebant, licuisset, dedisset, sine dubio operam, vt Vngaros sibi imperioque reddidisset obnoxios. Obstabant tamen Principes imperii, animumque eius, a lacessenda armis gente innocente, & ad imperium non pertinente, prudenter auerterunt (*l*). Mox quoque Fridericus, ad plura bella curas debuit distendere. Quod vero nihil iuris in Apostolicum habuerit regnum, discas, ex scriptore illius aetatis, qui expeditionem eius, aduersus Saracenos, iterque per Vngariam factum, describit (*m*).

## §. XI.

Taedet omnia commemorare, ad quae se recipiunt, qui, Vngariam, cum sacro Romano Germanico imperio, vinculo fiduciario copulant. Obiiciunt, inter reliqua, post Borichium, Stephanum, & mox Ladislaum etiam Principes, fratrem suum Geysam, apud imperatorem detulisse, quod asperius in se imperium exerceret,

l) *Otto Frising. de gestis Frider. I. Lib. II. cap. 6. ad an. 1156.* vbi perhibet, *Fridericum voluisse Vngaris bellum indicere, ipsosque ad monarchiae apicem reducere.* Caussae latentes, ob quas consensum ordinum imperii, teste Ottone l. cit. habere non poterat imperator, facile possunt ostendi. Reposuerunt scilicet nouo regi Principes, nihil sibi iuris in Vngariam competere, caussamque & casum Borichii, non magis ad imperium pertinere, quam ad Poloniam, Graecosque.

m) Legas *Friderici I.* imperatoris *expeditionem Asiaticam ab aequaeuo auctore conscriptam, apud Canisium T. III. lectionum anti-*

cerer, remediumque ab eodem expetiisse (*n*). Vtinam iterum recogitassent, penitiusque expendissent, querimonias tantum fuisse, imperatoremque sollicite praecauisse, ne suspectum se quadam ratione redderet, ac si quid potestatis in Vngariam sibi vindicasset (*o*).



*antiquar.* & apud *Vrstisium Scriptor. rerum German. T. III.* epistolam, de hac expeditione. Conferenda quoque sunt, cum his, quae *Otto Frising. de gestis Frider. I. Lib. I. cap. 43. Wilh. Tyrius Lib. 16. cap. 19.* de expeditione Conradi III. in orientem, tradunt. His enim ex monumentis, luce meridiana clarius est, reges hos, nihil potestatis in Vngariam habuisse.

n) Legas *Radevic. de rebus gestis Frider. I. Imper. Lib. I. cap. 12. Is* (Stephanus) *hoc compertum habens, quod Romanum imperium, totius orbis esset asylum, fugiens, ad imperatorem, euasit, aerumnasque suas - deplorauit - iniquissimum esse, quod fratri non sufficeret, paterno eum regno expulisse, nisi de capite quoque suo - supplicium sumeretur.* Idem *ad an. 1164. Chron. Claustri Neoburg. ad an. 1161.* Desumunt hinc iterum noua tela, aduersus nos, quibus contra ire non dubitamus, *Struue l. cit. Periodo VII. Sect. I. §. 14. Io. Petrus Ludwig. l. cit.* & alii. Sed recogitassent paullo diligentius caussam, qua Radeuicus, Stephanum impulsum esse scribit, ad auxilia a Friderico expetenda: *Quod Romanum imperium totius orbis esset asylum.* En caussam, quae Christianos Principes impellebat ad id, vt, in rebus dubiis periculosisque, receptum ad imperatores Romanos facerent. vid. *Radeuic. l. cit. ad an. 1164. Chron. claustri Neoburg. ad an. 1161.*

o) Exponit rem candide *Radevic. de reb. gestis Frider. Lib. I. cap. 12. Tali deprecatione permotus Fridericus, missis in Vngariam legatis, de restitutione iuuenis cogitabat, imperialem*

*preci-*

Audita inſpectaque re, ſuſpenſa omnia debuit relinquere. Fecit vnum, quod potuit: miſit ſcilicet Principes hos in Graeciam, remque eorum imperatori orientis commendauit efficacius (*p*). Exciderunt tamen hic quoque ſcopo, quem ſperauerant, & alias aditum ad ſolium Vngaricum quaerere debebant (*q*).

## §. XII.

Si quid vmquam iuris ſacrum Romanum Germanicum imperium, poſt Petri fata, in regnum Vngariae na-

*precibus adiungens dignitatem & auctoritatem.* Conf. *Anon. in Chron. Bohem. apud Mencken. cap. 66.*

*p*) *Radevic. l. cit. Itaque, rogatus* (Fridericus) *ab adoleſcente, per Venetias, illum tranſmiſit in Graeciam. Chron. clauſtri Neoburg. ad an. 1161. Cinnam. Lib. III. ad finem, Nicet. Choniates annal. Lib. IV. & Lucius Lib. III. cap. 9.*

*q*) Poſt exceſſum Geyſae regis, frater eius, emoto Stephano III ſummam rerum rapuit, hocque, poſt breue tempus, exſtincto, frater alter Stephanus, quem noſtri IV. vouant. Rem noſtri perplexe tradunt, & ipſe Vimon alias accuratus; quare legendus erit *P. Pray*, qui rem totam in planum deducit, pag. 146. ſeq. Stephanus IV. qui Mariam Iſaaci, fratris Manuelis duxerat in matrimonium, Stephanum III. imperio priuare volebat. Cur non ſucceſſerit, *Nicetas Choniates annal. Lib. IV.* exponit. *Hungari*, inquit, *ad primum auditum, a Stephano* (IV. fratre Geyſae & Ladislai) *abhorruerunt, & nomen eius aegre tulerunt, eum ſe cum ob alia repudiare aſſerentes, tum quod Romanam vxorem duxiſſet. Minime enim e re ſua eſſe, virum admittere, Romanorum imperatori affinitate iunctum, vereri ſe, ne Hungari, ſuo regi, rex vere imperatori Romanorum pareret.*

nactum fuiſſet, eueniſſet id certe Bela IV. tam ſecundis, quam aduerſis rebus memorabili, regni habenas tenente. Incidit quippe princeps hic immortalis, in ea tempora infeliciſſima, quibus, Tatari crudeles, proſtrata protritaque magna orbis Chriſtiani parte, exſpectatione citius in Vngariam ſe infuderunt. Non pugna erat, ſed trucidatio miſerabilis Vngarorum, cum anno 1241. armis concurreretur, apud flumen Saio. Clade hac fatali, tantam periculorum molem ſibi Vngari conſciuerant, vt, quanam ratione, regnum, quod pro deperdito habebatur, vindicare, &c, quod reliquum habebat prouinciarum Bela, conſeruare poſſet, non viderent (*r*). Disiecti namque Vngari, ſine certo duce, ſine ſignis, ordineque ac imperio vagabantur, ad oramque maritimam, & montes ſe recipiebant. Vnum, quod ſuccurrebat, remedium, eo vergebat, vt, a ſummo Pontifice Romano & Imperatore, exercitus auxiliares, aduerſus nefandum Chriſtiani nominis hoſtem, expeteret Bela. Ea de cauſſa, miſit, ad eosdem, Vacienſem, qui ſuperſtes erat cladi, Pontifi-

*r*) Exponunt optime rem *M. Rogerius*, qui in triſtem, apud barbaros, deuenerat captiuitem, in *miſerabili carmine, ſeu hiſtoria ſuper deſtructione regni Hungariae apud Schvanan. rerum l. cit. T. I. p. 292.* ſeq. *Thomas Archidiacon. Spalatenſ. in hiſtoria Salonitarum pontificum atque Spalatenſium cap. 37.* ſeq. Multa quoque memorabilia ad hoc argumentum pertinentia, deprehendes apud *Matth. Pariſiens. ad an. 1241. Boguphal. in Chron. Polon. apud Sommersberg l. cit. T. II. p. 60.* ſeq. Ex domeſticis agunt hac de re in primis *Tim. & Pray ad an. 1241.* ſeq.

tificem Stephanum. Hic, quae in mandatis acceperat, executus eſt fideliter, pleniuſque omnia, quae acta ſunt, exponebat, & rem eſſe praeſentiorem in Vngaria oſtendebat. Verum, Fridericus Auguſtus, auribus magis, quam animis, ea accipiebat, quae Stephanus in medium proferebat. Rediit quidem, ad regem ſuum ſpei plenus; ordines tamen bellicos, qui, eundem, ſequi debebant, numquam vidit Vngaria (s). Summo hoc periculo compulſus rex Bela, fidem, ea lege, deferebat Friderico imperatori, vt, ſe, regnumque, liberaret a ſaeua gente Tatarorum. Elucet id ex compluribus monumentis, nullaque ratione vocari poteſt in dubium (t). Si leges pactionis bellicoſiſſimus imperator expleuiſſet, & Vngaria imperium auxiſſet, parum hoc ad gloriam nominis eius pertinuiſſet. Barbari enim hi, ad exſtirpandam rem Chriſtianam conſurrexerant, & Friderico imperatori, reliquisque regibus, non minus bellum indixerunt, quam Belae regi, quem ad maritima loca retruſerant. Proinde, ad exſtinguendum incendium

s) Legas *Petrum de Vineis Lib. I. ep. 29.* citatoſque ſcriptores. Conferendi quoque erunt *Chron. Auſtriac. & clauſtri Neoburg. ad an. 1241.* ſeqq.

t) *Matth. Pariſienſ. ad an. 1241. p. 598. procuratum eſt, quod dominus imperator, ab irruptione hoſtili, & barbarica, potenter regnum Hungariae liberaret, vt ſcilicet dictus rex, regnum illud liberatum & pacificatum, ab ipſo imperatore, & deinceps ab imperio teneret, quaſi domino capitali. Richard. de S. Germano ad an. 1241. idem commemorat.* In primis vero *Petr. de Vineis,* qui aulicus erat Frider. II. cancellariusque, *Lib. I. ep. 30.* rem clariſſime tradit. *Ecce enim, quod rex Hungariae, regnum noſtrae ditioni ſubiecit, dum modo defenſionis noſtrae clypeo protegatur.*

dium commune, vndique Chriſtianos concurrere oportebat. Perſpexit hoc, qui, hac tempeſtate, ſacrum per orbem Chriſtianum, tenebat imperium, oſtenditque, vere non minus, quam grauiter, nullam remunerationem imperatorem expetere potuiſſe, etſiamſi barbaros hos, armis victricibus, Vngaria eieciſſet. (*u*). Habuiſſe imperatorem in expedito integras copias ad debellandos barbaros, omni caret dubietate.

§. XIII.

Liberaſſe Fridericum, Vngaros, a foeda tyrannide Tatarorum, vnicus non niſi, quantum recordor,

K aeta-

*u*) Recitat litteras has ex *Raynaldo ad an. 1245. P. Pray p. 280.* in quibus haec legas: *quia, praedictus Fridericus, ad id* (depugnandos Tataros:) *ſicut Chriſtiani ceteri, dictante hoc natura, cuilibet, tenebatur*, cet. Agnouuiſſe id videtur ipſe Fridericus, & propterea litteris ad Angliae regem datis, excitat eundem, ut rei Chriſtianae opem ferat auxiliumque, aduerſus hoſtem Chriſtiani nominis, ad an. 1241. p. 558. *ſic ad liberationem Chriſtianitatis accingantur nobiſcum --- vt contra hoſtes Germaniae, terminos iam ingredi proponentes, velut Chriſtianorum ianuam, viribus aggregatis, victoria valeat obtineri. Prouideat ergo excellentia veſtra, & cum communes inimici, in vicinis regionibus debacchantur, ad reſiſtendum eis conſulatis.* Et, in epiſtola ad regem Belam data, apud *Petrum de Vineis Lib. I. ep. 29.* ita Fridericus: *quia vero, pridie auditis rumoribus, nationes barbaricae Tartarorum, quod regnum Vngariae ſubitis aggreſſionibus inuadendum: ad haec prompta expoſita voluntate, velut, qui cum proprio ſuadente negotio, tum totius Chriſtianitatis ſubſidio, & tuitione Catholicae fidei requirente, ad quam tuendam, ex commiſſa nobis imperialis officii diſpenſatione, tenemur, & debemus, inimicis fidei Chriſtianae totis viribus obuiare.*

aetatis huius commeminit auctor. Est is grauissimus alias Matthaeus Parisiensis, qui, ad an. 1244. haec suos in annales retulit: *misso - innumerabili exercitu, imperator, regnum memoratum, non sine magnis sumptibus & periculis, ab inhumamis, Tartaris liberauit, & eosdem, procul a finibus regni potenter & prudenter eliminauit.* Et paucis interiectis: *igitur, liberato regno Vngariae & regi pacifice restituto, subiecta facta est Vngaria imperio, & obligata in* 300. *militibus, & eorum sequela imperatori, in confiniis pugnaturo fideliter exigendis.* (*x*). Haec, si vera sunt, sibi, imperioque obnoxiam reddidit Fridericus Vngariam. Sed, in saluo est libertas Vngarica. Surrepsisse enim haec Matthaeo non difficili opera potest probari. Primum enim, ipse sibi non constat, & quae hic tradit, alibi subuertere videtur (*y*). Deinde, habemus oculatos eorum, quae Tatari in Vngaria gesse-

*x*) *Ad an. 1244. Burch. Gotth. Struue l. c. P. VII. Sect. VI.* §. *2. Creuit*, inquit, *inter haec, maiestas imperatoris. Bela enim rex Vngariae, a Tartaris nimium agitatus, atque ex regno pulsus,* auxilium anno 1244. petiit ab imperatore, ab eodemque restitutus, Vngariam, imperio subiecit. *Io. Petr. Luduig.* in rechtlichen Erläuterungen *l. cit. in vita Friderici II.* §. *103.* Die ungarischen *Scribenten* wollen sich auch hier noch nicht geben, sondern meinen, daß dieses keine Unterwerfung, sondern ein *foedus inaequale* gewesen. *Struve l. cit.* scribit, tacere, hac de re scriptores Vngaricos. *Bonfin. Dec. II. Lib. 8.* perhibet, Belam ab imperatore auxilium petiisse. Vtrumque concedo.

*y*) *Ad an. 1243. p. 561. qui* (Tatari) *etiam Cumanis sibi conterminis & confoederatis - - regem Vngariae, cum quibusdam magnatibus expugnarunt, vt fatigatus rex ad alas imperato-*

ferunt testes, qui contrarium perhibent. Et primas quidem iure deferimus, Rogerio, a barbaris, detestandum in modum exagitato, miraque DEI cura, eorum ex manibus sanguinariis, erepto (z). Post hunc, plurimum valebit auctoritas Archidiaconi Spalatensis, qui spectator erat calamitatum, quibus totam compleuerant saeui barbari, Vngariam (a). His adiungendus vicinus auctor, qui abscessum hunc barbarorum, etiam ad posteritatem litteris commendauit (b). Si quid adhuc esset dubietatis, id litterae regis eximerent, quibus queritur, quod frustra tantum in discrimen adductus, a Pontifice & imperatore auxilia expetierit (c).



*ris auolaret, homagium ei, pro succursu impendendo, facturus. Unde, cum hoc fieret ipsi sunt regressi.*

z) Legere nequis, lector Christiane, quin in lacrimas soluaris, auctoris huius, prouida DEI cura, ex faucibus barbarorum, educti, carmen lugubre, quod inter scriptores rerum Vngaric. *Schvandtn. T. I.* deprehendes. Huc in primis faciunt, quae cap. vltimo commemorat.

a) *Archid. Spalatens. cap. 40.* exponit, quas per regiones se in orientem receperint.

b) *Chron. Neoburg. ad an. 1243. Tartari & Comani, nemine, resistente, & occurrente, recesserunt ab Vngaria, cum infinita praeda auri & argenti, vestium, animalium,* cet. Conf. quoque *Anonym. Leobiens. Lib. I. Chron. Austriac. & Paltram, seu Vatzon. Consul. Vindob. Chronic. ad* h. an.

c) Adfert instrumentum ex Raynaldo. P. Pray l. cit. p. 302. in quo Pontifex haec inter reliqua: *quod licet olim regno tuo saeua Tartarorum rabie lacessito, tu, vt populi tui reliquiae saluae forent, a felicis recordationis Gregorio Papa, praedecessore nostro, contra eosdem Tartaros, peruenerab. fratrem nostrum, scilicet tunc Vaciensem - - Episcopum auxilium postu-*

§. XIV.

Licet vero nihil, occasione hac, Fridericus, in Vngariam, sit consecutus iuris: rex tamen Bela, quidquid in malam accipi poterat partem, dispellendum esse iudicabat. Ne ergo, ex pactione, cuius leges numquam expleuit imperator, seu is, seu successores, aliquid potestatis, in regnum Apostolicum sibi tribuerent: ad Pontificem se Romanum conuertit, rogabatque eundem, enixissime, ut nullam eandem esse pronunciaret. Fecit id, pro auctoritate summa, quam eidem orbis Christianus deferebat, Innocentius (*d*). Turbae, quae, post Friderici excessum, Germaniam occupauerant, & in diuersas trahebant curas studiaque, non permittebant, vt, de adserenda Vngaria imperio serio cogitarent (*e*). Inuenti quidem sunt nonnulli principes, qui, rem, ad comitia imperii, anno 1556. retulerant, &,

*postularis, idem praedecessor, quasi tuae, ac patrum tuorum clarae deuotionis oblitus, stragi populi tui, etiam verbo compati noluit, nedum facto*, cet.

*d*) Recitat litteras ex Raynaldo, *Pray l. c. p. 280. Attendentes*, inquit, *quod quoties aliquid sub conditione, conceditur, non exstante conditione, perinde ac si concessum non fuerit, sit habendum.* Et paullo post: *te huiusmodi iuramento, & homagio, de fratrum nostrorum consilio denunciamus auctoritate praesentium, non teneri: ita, quod hac occasione, nihil in te, vel tuos successores, aut regnum, possit ab aliquo vllo vmquam tempore vindicari.*

*e*) *Io. Petr. Ludwig. in German. Princ. Lib. II. cap. 2. p. 49. Verum enim vero, hanc tamen imperii clientelam Germania deinceps amisit derelinquendo.* Sed, non erat necessum derelinquere, quod numquam iuris fuerat Germanici imperii.

&, in iisdem, de adiicienda imperio Vngaria, cuius partem magnam Turcae rapuerant, partem, imperatores regesque Vngariae prouidentissimi, auxilio Germanorum, tutabantur, consilia inire volebant. Occurrit tamen consiliis his egregie imperator Augustus, ostenditque, Vngariam, sui iuris semper fuisse, permanereque debere (*f*). Non poterant id negare ordines imperii, & hoc ex tempore, numquam ausi sunt, sacro Romano Germanico imperio aliquid in eam tribuere potestatis.

# CAPVT III.

## QVO OSTENDITVR SVMMVM TVRCARVM PRINCIPEM NIHIL VMQVAM POTESTATIS IN REGNVM VNGARIAE HABVISSE.

### §. I.

Turcarum gentem ferocem, plurimum Vngariae adtulisse detrimenti, notius est, quam vt multis hic illud commemorare sit necessum. Non solum enim valida opulentaque saeculo XV. & sequentibus, ab illo, auulserant regna & prouincias (*g*); sed etiam maiorem ipsius



*f*) Legas *Rec. Imperii an. 1566.* §. über voriges haben uns unsere Churfürsten, Fürsten *cet.*

*g*) Bulgariam enim, Seruiam, Bosniam, Moldauiam atque Valachiam occuparunt, hucdumque detinent, cum notabili Dalmatiae & Croatiae parte; Transiluania vero atque Slauonia, nostra, patrumque nostrorum aeta-

ipfius Apoftolici regni partem fub duram miferant tyrannidem (*b*). Numquam tanta vulnera rei Chriftianae gentique Vngaricae inflixiffent: ni Joannes de Zapolya Tranfiluaniae adminiftrator, infatiabili honorum cupiditate accenfus, iniuftam, apud Vngaros, adhuc ante cladem Mohacfianam, quaefiuiffet maieftatem.

§. II.

Poft fatalem Ludouici II. regis occafum, fumma rerum ad Ferdinandum I. eiufque vxorem Annam, vnicam regni Apoftolici haeredem, deferenda erat (*i*). Agnouerunt id proceres regni, Joannem de Zapolya fi excipias, & paucos eius familiares, qui, ad res nouandas animum adiecerant (*k*). Aufi hi funt Coryphaeum fuum, Joannem, regem renunciare. Qui, quum nec armis, nec iure, fe, aduerfus legitimum regem Ferdinandum tueri potuiffet, in fidem clientelamque Solyman-

aetate, funt depulfi, id quod ex hiftoria Vngariae euidens eft.

*b*) Subactis Buda, Strigonio, Canifa, Viuarino, procurfiones faciebant verfus Auftriam atque Morauiam, & deplorandam Vngariae inferebant vaftitatem.

*i*) Complura erant, quae Ferdinandus in regnum Vngariae habebat iura, a matrimonio eius cum Anna fórore Ludouici initio, pactionibusque annis 1463. & 1515. procuratis deriuanda, id quod iam fupra Cap. I. §. 9. lit. p. monuimus.

*k*) Erant enim a patre Ferdin. regis, Stephanus Bathori prorex, nouus Strigonienfis Pontifex, Alexius Thurzo, & quamplurimi primores regni. Difcas id ex *Nicol. Ifluanffio Lib. IX. Petro de Reva de monarchia & corona facra regni Hungariae cap. VI.* & aliis Scriptoribus Vngaricis.

manni summi Turcarum principis se conferebat, eiusque patrocinio, & armis, regnum Vngariae, sub suam redigere volebat dominationem. Solymannus, quo vix alter Princeps Turcicus, plus ciuitati Vngaricae adtulit intertrimenti, magnam quidem partem Vngariae ab imperio Ferdinandi legitimi regis abstraxit: hac tamen ferocia nihil in regnum Vngariae iuris est consecutus. Quae enim Joannes, Vngarorum parti obtrusus, Solymanno promittebat, ea Ferdinandus rex legitimus, & qui post eum, plurimum auctoritate valebant, condemnabant (*l*).

§. III.

Licet vero Ferdinandus I. cum aduersario hoc acerrimo, anno 1538. pacem inierit, eademque titulum regis Vngariae, quo asseclae pridem eundem decorauerant, concesserit: exinde tamen non consit, Ferdinandum Turcarum principi aliquid potestatis in Vngariam concessisse. Notandum enim est, regem sapientem, Joanni soli, excluso haerede, quo adhuc carebat, honores summos, ea lege reliquisse, vt, a Turcarum fide recederet, & communem aduersus hostem Christianorum caussam ageret. Fecit id propterea rex immortalis, ne quid iuris sibi in Vngariam Turca ex vitioso foedere cum Joanne percusso, excreuisse diceret (*m*).

§. IV.

l) *Istuanff l. cit. & legatio Hieron. Laski in adparatu Beliano ad hist. Vngar. Dec. I. Monum. IV.*

m) Recitant leges transactionis breuiter *Nicol. Istuanff. Petr. de Reua l. c.* alii.



§. IV.

Exſtincto Ioanne, totus in eo erat hoſtis hic ferox, vt regnum Vngariae, ſui iuris reddere, eidemque ſuum praeficere potuiſſet clientem. Et licet tributo interdum Vngari pacem redimere debuerint: qui tamen, per id, imperii partes aliquas, Vngaros in hoſtem hunc tranſtuliſſe, concludere vellet, laberetur turpiter. Tironibus enim iuris naturae atque gentium notum eſt, non quauis pactione imperii partes, quae penes Principem ſunt, deminui transferrique in gentem, cui tributum eſt dependendum (*n*).

§. V.

Qui Ferdinandum I. in imperio, apud Vngaros, exceperunt, numquam non totis in eo elaborabant viribus, vt Maieſtatem regni Vngariae aduerſus Turcas tutari vindicareque potuiſſent. Non ſemper conſiliis conaminibuſque reſpondit euentus. Mox enim hoſtem depellebant ex agris, oppidis, vrbibusque nonnullis Vngariae, mox cedere, quae recuperauerant, cogebantur, donec Leopoldus, & gnatus eius Carolus VI. magni imperatores, barbarum profligarent, totamque Vngariam, Tranſiluaniam & Slauoniam, in priſtinam reponerent libertatem, redderentque florentiores.

*n*) Legas *Iſtuanff. l. cit. Lib. XVI. p. 270. ſeq. & articul. decretales anni hujus, 55. & 56. artic.*

